HIERONYMI CARDANI THEONOSTON SEU DE VITA PRODUCENDA...

Girolamo Cardano, Fabrizio Cocanari, Lorenzo : de Rossi

Digitized by Google

0
EMANUELE
ZIONALE
55
3 K
19
ROMA
VITT. EMANUELE
12
14
2
1
Digitized by Google

H IVa 23

Digitized by Google

HIERONYMI CARDANI THEONOSTON

Seu

DE VITA PRODVCENDA ATQVE Incolumitate corporis conseruanda.

Pertinet ad Gaudentem Fran.co de Vrbe

DIALOGVS.

Studio, & opera

FABRITII COCANARII TYBVRTIS.

AD SANCT. D. N. PATREM PAVLVM V. PONT. MAX.

CVM PRIVILEGIO.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE ROMA

ROMAE, Apud Io. Baptistam Robletum. M. DC. XVII.

Superiorum Permissu.

Digitized by Google

Ego Philander Colutius Medicus, Hieronymi Cardani Theonoston librum secundum, Seu de Vita Producenda atq; Incolumitate corporis conseruanda, Iussu Reuerendiss. P. Sacri Palatij Apost. Magistri, perlegi diligenter, & nihil quod fidei, vel bonis moribus repugnet percepi, quare dignum editione censeo.

Philander Colutius manu propria.

Imprimatur, si placet Reuerendiss. P. M. S. P. Apost. Cæsar Fidelis Vicesg.

Imprimatur Fr. Gregorius Donatus, Reuerendiss. P. M. S. P. Apost. Socius.

Digitized by Google

S. D. N.
PAVLO QVINTO
PONT. OPT. MAX.

FABRITIVS COCANARIVS
integram ſalutem, & fœlicitatem æternam exoptat.

PRISCA veterum Quiritum, vel adulatio, vel veneratio, vel certe ſuperſtitio B. P. pro popularium principum incolumitate, quos Reipublicæ videlicet interat eſſe diuturnos, inſtauratis ad puluinaria Deorum in quinquennium votis, nunc decennalia, nunc vicennalia, nunc tricennalia nuncupabant: in quo nec video

Digitized by Google

quid multum laudem, nec quid vehementer admirer. Quid enim illi longius exoptarent, quorum consilia mortalitate citeriora nullum votum nec concipere sempiternum nec spatium vllum extra tempus spectare poterant æternitatis? Nos aliter tuis virtutibus, & instituti diuinitus, & humanitus imbuti sumus: vt non lustricis, non decennalibus, immo, nec secularibus quidem sed immortalibus, æternisque, (si res ita pati posset humana) præsentiam, incolumitatem, amplitudinem, fœlicitatem tuam, & exoptare votis, & exposcere sacris à Deo parati simus. Quis enim amicus, ab amico, quis filius à parente tantum bonorum priuatim expectauit aliquando, quantum ex te Pontifice omnium Maximo publice semper omnes priuatim singuli perceperunt? Aut quid nobis iucundius ad vitam, præclarius ad laudem, sanctius ad honestatem quorumlibet veterum Principum impertiri siue virtus, siue fortuna potuisset: quam quod ex iustitiæ tuæ B. P. tam opulenta quam pacata fœlicitate continenter, ad vnamquamq; Reipublicæ partem promanat, ac pertinet? Quid quæris? in vsura perpetuæ securæque pacis beati sumus. Pete vitæ præsidia, per te gloriæ splendor, per te prolixa benignitas, & bonorum omnium copia comparatur: per te iustitiæ sanctitas, morum integritas, amplitudo religionis, exempla virtutum, instituta legum, otij tranquillitas, litterarum voces, nobilium artium ornamenta, poetarum iucunda plectra re-

uiuiſcunt: vt te veritatis ac ſanctitatis Antiſtite nobis non ſolum honeſte viuere ſit ex vſu: ſed etiam iucunde viuere ſit ex voto. Itaque noli vereri ne, cum ex incolumitate tua, noſtra ſit ſuſpenſa fœlicitas, immortalia vota, quę pro ſua quiſq; ſalute concipere ſolemus: eadem pro tua quoque diuturnitate faciamus. Hæ publicæ præces; hæc priuata vota ſunt: hic amor hic omnibus ſenſus eſt. Alienæ mentis coniectura facio de mea; ſic mihi cum meis vita iucunda ſit: vt commune votum populorum, in tuę vitæ longinquitate defixum, & cum Reipublicæ ſalute coniunctum ex animo non tantum ſtudio proſequor, ſed etiam præce. Velut huiuſce libelli teſtatur fides, qui tanquam ex induſtria cum latuiſſet hactenus: nunc demum è latebris quaſi ciuitatum ſtudijs, ac votis ſuffragatus emerſit, ac in portum potius tuæ benignitatis ſoſpes è Hieronymi Cardani naufragijs enatauit. Illius inquam Hieronymi præſtantiſſimi Philoſophi cuius experientiſſimum in medica facultate iudicium, & limatiſſimum ingenium multiiugemque doctrinam tandiu poſteritas admirabitur, quandiu Romanæ litteræ loquentur & admirari poterunt qui loquuntur. Theonoſton illius inuentum erat vnum è multis politiſſima arte perfectum, ſex omnino partibus coagmentatum, ſane luculentum opus, ac varium, omnique philoſophica, medica, ac politica ſuppellectile collupletatum, ac ſpiſſum, & expectatione doctorum, & authoris celebritate digniſſimum.

Aliter

Aliter Deo visum. Cœterum corpus intercidit: aut certe supprimitur ab inuidis, ac maleuolis posteritatis. Hæc secunda pars iacturæ superstes, ea continet præcepta mortalibus opitulandi, quæ de proroganda vita subtiliter excogitata quam longissimam ætatem nemini verius quam temperato, nemini iustius quam optimo Principi pollicentur. Iucundissimæ spei promissum lætum: artificium experientibus laboriosum, facillimum iam expertis: credulorum ludibrio plerumque nobilitatum; aucupandæq; Principum gratia sæpe iactatum, semper irrisum, pauciſſimis probatum, irritum plerisq; suspectum omnibus: tu minime (quemadmodum speramus) contemnendum existimabis, qui producendæ vitæ saluberrimam, certissimamq; rationem è virtutis ante moderatione, quam ex artis aliqua præscriptione perceperis, non è lenocinio corporis, sed ex ingenio temperatæ quemadmodum suadebat Socrates, expetere solitus adminicula salutis. Et tamen nisi falsus animi sim, vt nihil humanum à te putes alienum: sic ad hęc externa tanti viri præcepta non nihil adgaudebis, quotiescunq; grata vicissitudine laboris, & quietis intermissis maiorum operum curis, animi gratia tantisper hoc volumen sumens in manus animaduerteris longo prosperæ valetudinis vsu, suapte sponte temperantia magistra, plus inuenisse te laudis integerrime longissimeq; viuendo, quam ille laboriosissima peruestigatione compererit, philosophice multa scribendo:

tum

tum si qua laus est occupasse fœlicitatem voluptati fuerit, optatissimæ rei facultatem tibi, doctrinam alijs contigisse. Nam illud me nihil admodum mouet, quod hoc opusculum, & debilitatum, & per paruum est, corpore, non virtute paruum est, rerum æstimandum pondere, non verborum. Quia & in angusto magna quondam ingenia laxius explicantur: & nobilium artificum opera nonnunquam eruditos oculos quamuis mutilata delectant. Videmus hoc in clarissimorum Principum Hermathenis quemadmodum non solum magnorum iusta corpora librorum, sed etiam pauculæ non raro litteruleæ clarorum ingeniorū reliduæ, perexiguis in membranis, ac miniatulis adseruentur. Videmus in Hypetris, in Pergulis, in Xistis, in Gymnasijs, in Palestris non integra semper, non suis omnibus expleta partibus ad cultum, & dignitatem loci simulacra collocari, siue quæ cœlo Phidias, aut Praxiteles effinxit, siue quæ Myron aut Lysippus ex oere fudit: quin etiam mutila plerumque conquirimus, & disiecta membra colligimus, & pulcherrimorum operum tenuissimas persæpe reliquias summo in prætio habemus, si quod in illis vestigium antiqi æ notabilitatis extet, si non dum omnia lineamenta laudis temporis obliterauit iniuria. Demum quidquid illud est, quod ex ingenti corpore supersit, in omen nunc primum prodit longissimæ, fœlicissimæq; senectutis tuæ; cuius diuturnitati sic occurrit vt gratuletur publicæ felicitati. Quod si pro vetere

tua

tua consuetudine B.P.æqui boniq; consules:tu quidem à nobis offitium ęgregię voluntatis,à te monumentum habebis etiam votum omnium populorum,in quo tua te memoria per te partæ laudis oblectet : quandoquidem id tibi donum sponte nascitur , quod ingenio pauciſſimi vix assequuntur omnes auidiſſime concupiscunt, ob intemperantiam quam plurimi desperant nulli pari tecum temperantiæ laude conquirunt .

HIERONYMI CARDANI THEONOSTON.

LIBER SECVNDVS.

Seu

DE VITA PRODVCENDA, atque incolumitate corporis conseruanda.

Philoſoph. CVM PRIMVM ſurrexiſſemus lotis iam manibus, igneq; parato, inquit Ciuis.

Ciuis. O beate, cum tot commodis ſolum mihi videris vita, ac valetudine proſpera indigere. Sed tamen, ſi caſus ferret, (quod abſit) vt ægrotares, iam magno eſſes in diſcrimine vitæ, & omnibus his commodis deſtitueres. At de vita video, ſeù caſu, ſeù ratione contigerit, non eſſe quod queraris. De valetudine incertum eſt mihi, qualis tibi fuerit, proſpera nè diù, an aduerſa.

Eremita. O filioli Deo primùm gratias, cui omnia debentur: cæterum hanc mihi vitam, & valetudinem comparaui, quæ mihi perpetua eſt, incolumis, quantum per ætatem etiam licet valida, atque robuſta.

Ciuis. Quid ais? Nam de vita audiui à multis multum proficere viuendi rationem ad eam producendam: at quod tutus tibi etiã à morbis ea cauſa in tàm aſpera ſolitudine, in tàm acerbo aëre

Viuendi ratio multũ confert ad vitam producẽdam.

hoc mihi nouum videtur,& inusitatum. Sed tamen tu qui totus Deo addictus es,forsan potes hanc rationem contemnere. Quid enim aliud est hæc vita,quàm obscurus, ac miser carcer ? Sed & ad valetudinem forsan plurimum valet nullis esse impeditum curis, ac lætitia illa animi, qua Sanctos Patres illos, si non diuino auxilio id contigisse dicas,tandiù vixisse arbitror.

Ad valetudinem plurimũ valet nullis esse impeditũ curis.

Erem. Eiá agè ò fili, non negarim etiam istius modi contulisse & illis, & mihi ad vitam protrahendam, sanitatemq; incolumem; sed longè maiora sunt commoda ad vtrumque horum lætitia illa, & vacuitate à curis: nam & in Vrbibus multi inueniuntur longæ vitæ homines,curis tamen,& calamitatibus prægrauati, multi contrà felici fortuna,qui in prima iuuenta obiere. Modò enim curæ non eiusmodi sint, vt eripiant somnum parum vitæ obsunt. Vt lætitia etiam,nisi quatenus hominem non auocat ab illo.

Modo curæ non eripiant somnum parũ vitæ obsũt.

Ciu. Vera dicis: multos enim ex vtroque genere noui. Sed iuuat puto multum robur naturæ, integra natiua valetudo, & quo quisque sydere natus sit, & qualibus ex parentibus: multi enim sunt, qui velut Garamantes vix quadragesimum annum attingere possunt; in quibusdam Vrbibus, Oppidis, Familijs plures propè centesimum accedere solent.

Erem. Vera dicis: sed non est hoc nunc meum institutum. Neque enim negarim,quosdam esse, qui nulla arte ad senectutem perduci possunt: quod & Galenus princeps artis medicæ fatetur: at vitam breuiorem reddere licet,longiorem,vt reor,minimè. Eiusmodiq; ratio fermè in omnibus bonis est. Cæterum nõ credatis, mihi quod in hac solitudine viuam, contemptum adesse vitæ. Pulchrum est quandiù vixerimus,viuere ita,vt non pœniteat vixisse: nec animi peccatis,nec corporis morbis:nã eiusmodi vitam esse arbitror incorporearum substantiarum, quibus quanto similiores euaserimus, tanto beatiores non solùm, sed etiam perfectiores dici possumus. Quod si ita est, vt pulchrum sit ita vixisse, vt non pigeat vixisse,cur est,vt non etiam eam vitam viuere cupiamus, & diu quàm cum vixerimus, neq; pigeat vixisse, nec tædeat. Si cui vita tædio esse debet,cui magis,quàm seni? Quid seni decrepitæ ætatis viro,& in solitudine degenti: At tantum abest,vt vita mihi tædio sit, vt quandiù etiã viuere cupiam. Sed neq; existimo grata esse Deo nostra incommoda, nisi quatenus languidiores efficiunt ad flagitia perpetranda: quod siquis secus se ab illis contineat,non est, vt

Ita viuere vt nõ pœniteat vixisse.

gaudeat

gaudeat miseria sua, quanto minus, vt eam affectet. Sæpius connumeraui gaudia mea, & voluptates, causasq; illarum non est, vt denuò recensеam, sed vt cupiam viuere, & maximè sanus.

Ciu. O sine fuco prorsus vir inclyte, & καρδιάμαντε, seu adamantine, quousq; tua gloria manebit. quàm beatior, quàm melior es illo Socrate? Ille competit commoda vitę; tu spernis incommoda: ille non formidauit mortem, tu vitam asperam libenter sustines: Ille forsan falsò iactabat se, tu verè & ex animo hæc dicis: Ille quod summum fuit, sperare potuit non deteriora; tu quod minimum est, deteriora expectare non potes. Sileat ergo græca garrulitas, & nos nostrum habeamus Socratem. Paralellus Socratis cum Eremita.

Erem. Sed omitto ista nè dicam illud Euripidis

Αἰνοῦμαι γὰρ οἱ γαῦοι τροπον τινα,
Μισοῦσι τοὺς ἀίσσοντας, τὰν αἶνοι ἄγαν.

Sed potius sequamur quod instituimus. Dixeram non minus salubrem esse hanc vitam, & vitæ producēdæ aptam, quàm in quauis Vrbe. Quod si hoc vobis ostendero his septem diebus, operæpretium feciſse videbor.

Ciu. Hoc est quod audire cupimus.

Erem. Sed enim videamus primum, quot sint commoda præcipuè senectutis, & vitę diuturnę; namq; sic etiã illius vtilitates intelligemus, & quantũ fructũ afferat vixisse diu: sic enim melius intelligemus beneficium, quod ex solitudine nobis parauerimus, in solitudine degendo; si solitudo longiorem vitam, atque salubriorem præstare potuerit. Equidem primum illud à me declarandum est, ni fallor, generaliter, quæ commoda, & vtilitates vita nobis afferat: hoc enim ipso, quod est viuere, tria præcipua percipimus commoda, & duo alia præstamus. Ipsa quæ percipimus sunt sentire tot sensibus, spectare cælum, sydera, solem, lunamque, tot varietates temporum, regiones, vrbes, flumina, montes, maria, prata, insuper nemora, saltus, viridaria, flores, herbas, & arbores, animalia, aues, pisces, quadrupedia, lapides, gemmas, ædificia, picturas, totq; alia, quæ longum esset numerare. Inde se offert auditus, quo harmoniam cognoscimus, cantus, sonos, auium modulationes. Gustus saporum iudex, & olfactus odorum. Sed & memoria, & ratio, & cogitatio, atque hæc omnia in primo genere. Post sunt voluptates, quæ omnes in motu quodam constant, recreari in vmbra çstate, inuisere regiones, & loca Veneris præterea, ac tot aliorum seu visus, seu auditus, seu gustus, aut olfactus, totq; alia: Commoda senectutis, & vitæ diuturnæ.

ſed præcipue etiam memoria præteritorum: Sed omnium præſtantiſsimum eſt tertium genus, ſcilicet intelligere, quo ipſi Deo iungimur. Hæc omnia igitur in nobis præſtat vita; alijs autem duo præcipua mortalibus quidem voluptatem, qui nos amant, & vt alios etiam procreemus; Deo autem vt illi gratias agamus, & veneremur, & mundum adornemus.

Hæc ergo ſunt, atque huiuſmodi vitæ huius commoda generaliter. Quo fit, vt quantumcunque huic vitæ adijciatur, tantum etiam ex his omnibus bonis nobis accedat, & vſus fiat diuturnior.

Ex ſalubritate tria commoda.

Ex ipſa verò ſalubritate tria commoda, nè adeò metuamus mortem tanquam præſentem, aut proximam, & vt non doleamus, & vt ipſius vitæ commodis omnino frui poſſimus, aut ea melius percipere. Ergò hoc eſt primum generale commodum diuturnioris vitæ, ſcilicet vti diutius vitæ bonis: alterum vt recordemur præteritarum voluptatum, atq; felicitatis.

Emolumẽta ſenectutis.

Specialiter autem ſenectus primum affert multam ſapientiam, atque prudentiam adeò vt & in actionibus, & in exercenda arte ſi quam noris, ni omninò ſtupidus ſis, aut oſcitanter cuncta egereris, feceriſuè ad culmen perfectionis peruenias in ea ætate.

Aliud emolumentum eſt, vt voluptates, & actiones omnes iucundas, velut ſenſuum pereeotiones ipſum cognoſcere, atque intelligere longè meliùs perficias, atq; deguſtes, liberatus tot perturbationibus animi, ac corporis, quas feruor præcedentis ætatis parit, à quibus omnia bona nobis interturbantur adeo vt nil ſyncerum percipere poſſimus. Itaque ſenex longè melius percipit, atque deguſtat voluptates, & delicias, & tam animi, quàm corporis operationes naturales, quàm faciat iuuenis, & multo longè magis, quàm puer.

Senex melius deguſtat voluptates, quã iuuenis.

Senectutis quoq; præcipuum commodum eſt, ſi rectè recta fuerit, & non prorſus infortunata fuerit multam videre ſtirpem, & ſparſam hinc inde illam prouehere, adiuuare, ordinare, ornare, ab illa viciſſim coli, & venerari, atque opera iuuari, ac protegi.

Eſt etiam in ipſa ſenectute bonum non leue. extinctis perturbationibus, contemplationi totum ſe dedere, vt quaſi diuinam in terris vitam agas. liberior eo à metu mortis, quo propior, vtpote qui nec vitam valde optes ob imbecillitatem corporis,

poris, neque odio habeas ob animi libertatem. Sed vt propior metæ eo alacriór illi occurras meliora expectans, si bonus fuerit, vt sancti, vixeris. De his omnibus mihi credere etiam vltra rationes adductas securè potestis, vt omnia hæc iamdiù experto, & in dies experienti.

Bonum in sene, vt mors cum voluptate fit.

Atvnum est & aliud incomparabile bonum in sene, & maximè decrepita ætate, qualis sum ego, vt mors cum voluptate fit, velut alijs cum summo dolore. Est enim mors senis titillatio quædam simul in omnibus membris. Id primum aliquando penè expertus sum; tùm ratio ipsa extremæ senectutis docet; tum illud maximè quod verisimile non sit, naturam in aliquo defeciisse: vt quicquam esset in humana constructione, de quo conqueri de illa meritò possemus; quod si omnino dolent alij, id fit, quoniam immatura fit separatio. Vides crustas vlcerum, quæ ante maturitatem tanto cum dolore auelluntur, cum siccatæ fuerint cum voluptate decidunt: nostrum fermè est, vt eo dolore careamus. Quod si ob intemperantiam, auaritiam, æstus animi accelleramus mortem, & dolorosam mortem nobis accimus, in quo meritò inculanda venit natura. Vides etiam fructus, cum maturi sunt, quàm lenitèr ab arbore, &, vt ita dicã, quasi cum voluptate ab illa auferantur, & si auferre neglexeris, illa sponte remittit, & decidunt; ita mors matura cum voluptate est. Interim gaudemus tandiù vixisse, & quod solum nostrum est, præteritũ scilicet eo abundè, & cum voluptate fruimur, memoria scilicet præteriti temporis: & securitate, quod immatura mors nobis aduenire non possit.

Quæ causæ morborum, ac mortis.

Ergo vt vitam producamus, vt sanitatem tueamur videndũ est, quæ sint causæ morborum, atq; mortis. Si sanus nulla ex parte mutetur, sanus erit, quod etsi in melius mutetur, adhuc magis sanus euadet, nonne?

Ciu. E quidem.

Erem. Rursus nonnè & illud considerandum quò magis vitio, & celerius corripiantur, & quo præcipuè etiã vita eorum finiatur.

Ciu. Appositè.

Erem. Videamus ergò hoc ipsum primum per ocium tanquam scopum, in quem dirigenda sit disputatio.

Ciu. Pulchrè.

Exemplũ de dentibus.

Erem. Principium hoc sumere oportet primùm ex ratione, inde ex experimento; ratio verò duplex, naturalis, & coniecturalis: quemadmodum si dicamus, verisimilius esse ex membris visui

subie-

subiectis dentes, ex occultis ventriculum debilitari, & euerti. Dentes quidem, quoniam induti sunt ossibus haud firmis, aut crassis, & sine vinculo valido, quod obliquus sit illorum adinuicem occursus, quòd atterantur indies, quòd naturaliter mutentur, naturaliter etiam cadant non amplius redituri, quòd ex cerebro desluat humor perpetuò serosus, & acris, qui illorum radices destruat, & erodat; Ex ventriculo autem ascendant vapores, qui illos corrumpant. Coniectura autem, quòd rebus duris occurrãt calori, frigori; quòd ex longo attritu, mutatione aeris, concussione elidantur. Ex experientia, quoniam neminem videas, aut inter mille vnum, qui octuagesimum attigerit annum integris dentibus, cum fermè omnibus aliqui decidant, plures vitientur etiam ante sexagesimum.

Exemplum de ventriculo.

De ventriculo par fermè ratio: tenuis, amplus, exanguis, occurrit calori, frigori, concutitur ambulando, distenditur à cibo, à potu laxatur; aqua non iuuat illum, vinum verò etiam graniter sæpè nocet. Coniectura; homines comedunt tot illi inimica; prægrauant eum, atque distendunt, vt disrumpi videatur; saliunt, currunt à cibo, tot morbi, quibus in omnibus vehementer affligitur: deuorantur dura, & ossea, & cruda, & fermè venena: comedimus nondum priore concocto cibo; vigilamus, dum concoquere opus est. distrahitur calor studijs, & curis. Experimento, quod vix vnus est, maximè ætate prouecta, qui non queratur de ventriculo. Quis sine iniuria vnquam huius membri vixit? Vni dolor, alter non concoquit; alter nauseabũdus est, alius sitit, alius non esurit, alius eructat cibũ. Iniurias ille sentit omnes dentiũ omnia incõmoda omnes terrores hominis. Cogitur ille deuorare quæcunque medicamenta aspera, & non læsus etiam supplicia vitiorum aliorum membrorum sustinere, ac perpeti. At dentium vitia, & calamitates diù possumus tolerare, ventriculi non diù sine magno detrimento totius corporis, & vitæ, si magna in illo fuerit noxa. Post hæc succedunt aures. Multi credunt, plures primum affici incommodis circa oculos, quàm circa aures; sed falluntur; hic non vt in prioribus experimentum cum coniectura consentit. Coniectura enim est, quod aures celerius patiantur, quàm oculi, & homines citius obsurdescant, quàm obcæcentur, quoniam oculus humidus est, & plenus spiritibus, & multiplici munimento defensus: præterea calidus, & ad omnem aeris iniuriam robustus; nec potest colligere vaporem, nec retinere. Experimentum

De Auribus.

tum tamen videtur oppositum ostendere: vides senibus oculos lachrymantes spontè, vides vti perspicuijs, omnes testantur visus detectum non auditus. atque ita familiare malum videtur imbecillitas visus senibus, auditus autem obtusior adeò rarum, vt hoc sine pudore non audeant fateri, illud apertè testantur.

Attamen coniectura certior est experimento: nam quia id de oculis nemo abscondere potest; quoniam oculi oculis subiacent; ideo quod tegere non possunt, honestum ducunt apertè fateri, dum vitium est valdè commune. Sed auditus vitium occultum est, & cum tegatur à plerisque, omnes sibi turpè ducunt accidere, quod vitium potius esse videatur vitæ, & intemperantiæ, quam ætatis. Multis enim modis, tum ex gestu, tum ex antecedentibus; tum ex priorum verborum intellectu sensum eorum verborum attestantur, quæ tamen non perceperunt: Quod & si non possint tanquam alij cogitationi intenti iubent repeti: alij verbum illud tantum explicari volunt intentius, in quo vis sermonis latet, tanquam alia intellexerint, cum tamen non intellexerint. Demum si magna res non est, quidam etiam per verba communia ita respondent, vt uerisimile sit eos percepisse, quæ dixeris. Itaque cum aliquibus, vel aliquando benè responderint, quod surdastri sint, suspicionem effugiunt. Cum persuasum sit hominibus eum, qui semel audit, semper posse audire; & qui audit aliquid, omnia posse audire, sed alio intentum, non animaduertisse, quæ dicerentur. Tum verò huic solertiæ fauet plurimum, quod hi qui colloquuntur, plerumq; sunt iuuenes, aut adolescentes, qui cum ab hoc vitio sint immunes, non cogitant, nisi quod vident. At hoc videre impossibile est; percipere omninò difficillimum; sed etiam vix coniectari non leue est, maximè in callido viro. Sed rei veritas est, quod plures & citius fiunt surdastri, quàm luscioſi. Post autem fiunt & oculi debiles, tumq; iam ingraueſcit senectus: labant genua, renes quoq; & pulmo laborant: bonumque est, & prosperè agitur, si solum vitio laboretur, non morbo. Hæc igitur sunt primum sex senum incommoda; si non imbecillitatem crurium connumerare velis, vitium quoq; cerebri, vigilia, obliuio, talia subsequi solent hanc ætatem.

Plures citius fiunt surdastri, quam luscioſi.

Quid ergo occurrendum est duplici ratione generali, vna, vt corpus humectetur quam fieri potest; altera, ne cruditates fiant: ex horum vno imbecilles fiunt omnes vires, ex altero cõtingunt

tingunt omnia impedimenta calculi renum, difficultates ſpirandi, ſurditates, cæcitates, mali habitus. Hæc inuicem diſtinxi tametſi coëant in vnum, ſcilicet, vt calor naturalis validus ſeruetur; nec eius actio impediatur. Sed quoniam hæc duobus modis conſequimur, qui fermè cõtrarij inuicem ſunt: vno vt cibis benè nutrientibus alamur, altero ne quid nimis ſumamus, ideò etiam in duos ſcopos diſſecari meritò potuit hæc intentio.

Ex crudi-tate omnia impedimẽ-ta.

Cum ergo ſint tres noſtri corporis partes, membra, humores, & corporei ſpiritus membra vero ex cibo humores ex potu aut ſorbitione corporei ſpiritus, ex incorporeo, ideſt aere nutriãtur, vt Hippocrates auctor eſt, palam eſt, duo eſſe præcipua conſeruandæ ſanitatis, & producendæ vitæ argumenta, cibũ, & potũ, atq; aerem; reliqua omnia, velut animi curas, ſomnũ, euationẽ, conſuetudinẽ, motũ, ſeu quietem, tẽpus anni, artem ad hæc ipſa duo referri. Nam anni tempus, & locus, in quo habitatis ad aerem pertinent: non enim nocent, aut iuuant niſi quatenus aerem, efficiunt bonum, aut malum; calidum, ſeu frigidum. At animi curæ concoctionem, & per ſe præpediunt diſtractis ſpiritibus, & non per ſe, ſed alterius cauſſa, ſcilicet ſomnum ſubtrahendo, quarè & ſomnus, & animi curæ, & motus, & quies, & euacuatio excrementorum, & conſuetudo, atque ars, omniaq; eiuſmodi ſic obſunt vitæ, & valetudini, aut proſunt, quatenus quod reſtauratur bonum, aut malum ſub debita quantitate aut exuberans, vel deficiens efficiunt. Itaque vbi curæ premant hominem nihil melius, quam detrahere ex cibis, eoſq; quam concoctu faciles, & pauci alimenti ſeruare; nè ſi nõ prauitate lædant, lædant contumacia, aut ſi non contumacia, obſint, ſaltem multitudine: præcipuè verò ſi curæ ſomnum eripiant, aut interruptum præter conſuetudinem effecerint. In cibis autem, ac potibus cum plura conſiderentur, qualitas naturalis, & quæ arte comparatur, ordo, tempus, quantitas, quæritur meritò quid inter hæc omnia præcipuum? Quidam dixere, quantitatem eſſe primam auctoritate, vt quæ plurimum poſſit in hac cauſsa, & per eam ſolam conſtruatur non tantum ſanitas, ſed etiam vita plurimum producatur. Quorum dux fuit Aloyſius Cornarius Patritius Venetus, qui dum hæc ſcriberet, octuageſimum annum vitæ iam agebat incolumi corpore, atque mente. is aſſuetus iam ab anno ſuæ natiuitatis trigeſimo ſexto, quòd morbo tùm penè inſanabili ventriculi detineretur, perpetuo eundem tenorem victus ſeruauit vſque ad eum annum

Tres corporis partes.

Duo præcipua producendæ vitæ.

Vbi curæ premant detrahere ex cibis.

Aloyſius Cornarius Scriptor.

annum. Et quamquam multis curis, ac litibus, quarum dolore frater interierat, tortus sit, moderatione corporis sanus manſit, & ſuperior in iudicio. Idem excuſſus anno ſeptuageſimo è carpento, & longius tractus, cum carpentum eſſet euerſum, laxato crure, ac brachio, multiſque in capite receptis ictibus, cum à medicis deſperaretur, vellentq; tanquam in vltimis caſibus medicamento, & ſectione venæ vti, ipſe (vt narrat) confiſus in humorum temperata quantitate, nec de ſalute deſperauit, nec auxilia admiſit, breuique conualuit. Annis autem nouem poſt, cum iam propè octuageſimum eſſet ſuaſu medicorum, & vrgẽtibus amicis, dum duas cibi vncias conſueto ponderi adieciſſet, intra decem dies, aut paulo plures ægrotauit, ita vt rurſus à medicis ſalus deſperaretur, nec tamen ipſe multum ſperaret: tamen ad priſtinum ordinem rediens denuò conualuit, licet ſero. Sed & idem meminit tùm cum octuageſimum tertium annum ageret, nec aure, nec oculo debilitatum, ſed & inter nepotes ſuos, quos plurimos habebat, canere ſolitum ſuauiter, & equitando inuiſere loca ſua ſolitum, & pedibus etiam, licet parum leniter ambulando. Quin etiam exemplo veterum ea ætate conſcripſiſſe comædiam ſatis elegantem. Hic ergo omnia ad cibi, & potus quantitatem exactam, & exiguam refert. quando quidem delectus non meminit. Inquit enim, duodecim vncias cibi ſumere ſolitus eram, vitello oui, ferculo, pane, atq; carne computatis, in potu vero quatuordecim. Non tamẽ docet, an in prandio, & cœna, an in tota die, an ſemel duntaxat cibum caperet, cum dicat, vitello oui computato, nam ſi bis ſumebat cibum, bis etiam oui luteum ſumere illum in die veriſimile erat, aut tam de prandio, quàm cœna intelligendum. Sed cum dicat ipſemet exiguum fuiſſe cibum; conſtat de tota die locutum.

Ciborum exacta, & exigua quantitas.

Confirmauit hoc exemplũ Gabriel Panigarola Patritius noſter, Iuriſconſultus, vir ſingularis humanitatis, qui, vt accepi, iã aliquot annis, cum ſeptuageſimũ annum excedat, ex malo corporis, & morboſo habitu xxviij. vncijs cibo, & potu computatis in ſingulos dies contentus eſt, vt res redeat ad idem. Die tamen Iouis, & Dominico aliquid plus aſſumit. Alius etiam, quem probe noui xxxvi. vncias computato cibo, & potu aſſumit die quaque. Sed is ſingulis prope modum circuitibus dierum quindecim leue aſſumit, vt caſſiam nigram, aut huiuſmodi quidpiam. Hic iam nonageſimum ſuperauit annum. Et vos

Gabrielis Panigarolæ victus ratio.

me videtis,qualis sim, cum propè centesimum sim constitutus. Ergo ille vir adeo memoria dignus, videtur noluisse hoc bonum docere mortales, sed solum, vt illum scire intelligeremus. Nam neque si semel duntaxat in die cibo vtatur, aut bis; neque si pro tota die,aut prandio,cœnaue hoc explicuit,certos nos reddere dignatus est. Sed nec an delectu ciborum vtatur, sed omnia in ænigmate, commemorat: Hippocrate in dicendo breuior,& salebrosior. Verum ex modo dicendi coniectari licet, hanc fuisse summam totius diei, & ciborum delectum quendam obseruare solitum; sed ita tamen, vt modo pondus non excedat,vuam, vel ficum quandoque assumere liceat. At etiam sic interpretando dubium relinquitur,vt dixi,hanc summam vna vice, aut duabus sumat. Quin & illud mirum videri potest,quod plus potus indulgeat,quam cibi,maximè cum totus cibus solidus non sit; sed adsit ferculum, & oui luteum. Et mihi sanè magis eo in libro philosophum agere videtur, quam medicum.

Ciborum delectus permittitur, dummodo pondus nõ excedat.

Ciu. E quidem cum illum librum sæpius prouoluerim, nunquam potui intelligere.

Erem. At si viuit,cur non interrogabas?

Ciu. Obstabat simultas quædam inter nos,existimabat enim fratrem meum Zachariam in lite parum fuisse propitium,cum inter iudices sederet,quamuis ex eo iudicio victor euaserit.

Erem. At mihi obstat viæ longitudo: sed opinor consuetudinem sequi oportere, & quod more vestro partem exiguam præscripti cibi, nec oui luteum mane acciperet; vesperi autem totum residuum.

Ciu. Ita credere decet; nam morem Ciuitatis cognitum præsupponit.

Erem. Sed de potu quid dicendum?

Ciu. Non habeo quod in medium afferam.

Cibus potui sexquialter.

Erem. Videtur suam ipsius consuetudinem secutus,non viuendi rationem. Quippe potus bes esse debet cibi, vt cibus esse velut dicunt propè potui sexquialter, cibus quidem quindecim vnciarum, potus autem vndecim.

Ciu. Vnde hæc colligis?

Erem. Quòd humidum non debeat exuberare siccum; at sic computato ferculo erunt tredecim,ac tredecim.

Ciu. Verisimile est.

Erem. Sed æquare possumus, postquam tam benè illi cessit potum super-

ſuperabundare alijs eſſe æqualem. Ergò nè verbis valetudini conſulere videamur, facto autem aduerſari, poſtquam iam hora eſt, ſi placet, cibum ſumamus.

Phil. His dictis, panem, & piſces ſuper prunis cum melle edimus. A prandio vbi ſublata eſſent vaſa, atq; accenſus ignis cæpit Eremita in hunc modum.

Erem. Quàm multa ſunt ſobrietatis præmia, vt nullius alterius rei, robur virium, ſplendor faciei, ſanitas corporis, odor, ſuauis halitus, vox clara, & canora, ſenſus vegetes, alacritas animi, mens pura, ſomni læti, atque quieti, affectus animi moderati, nil turbulentum, acre agitatum; itaque eam totis viribus aſſequi debemus; tum maximè cum ob id ipſum, quo crapulam diligimus, cibum, & potum faſtidiamus, ob quod fugimus, deſideramus, atque delectamur. Sic ille tàm laudatus Socrates, obſonare famem abſtinentia, & deambulatione prædicabat. Sed ſunt quidam, qui felicitatem adeò in voluptate repoſuerunt, vt omnia contemnant, vitam, decorem, honeſtum, valetudinem, denique voluptatem ipſam etiam ob voluptatem negligunt, maioremque ob minorem, ac diuturnam ob breuem. Contra hos quid dixeris, quando quidem diſputare non licet? Sed longè deterius ſentiunt quam hi, qui voluptatis quòd eſſent ſummi laudatores, vituperabantur Eudoxus, Speuſippus, & Epicurus. Quid dicam de huiuſmodi hominibus, quos nec agnouit Iuuenalis, & de barbarica hac voluptate? Quo primùm fundamento nixus eos damnabo, qui non ſolum honeſtum, & decorum paruipendunt, ſed etiam vitam, & valetudinem: at ſummũ bonum eſſe ducunt viuere nulla ratione, mori quam celerrimè, interim nihil iucundius eſſe putant, quam cogere alios, vt ſic viuant, quoniam miſeriores certò futuri ſint eaſdem paſſuri calamitates, ſed non eadem amentia, & animi furore obrutas, atq; ſepultas. Atque hic mihi Triumuiratus ſceleratorum eſſe videtur. in quo nil iucundum fuit, quàm quod omnes miſerrimi eſſent. Sed ſi aliquo modo perſuaderi poſſunt mortales, aliquid eſſe bonum humanum, aliquid iucundum, ac felix, vnum alio melius ex his, quæ hominibus eueniunt, beatioremque vnum hominem altero, & viciſſim vnum altero miſeriorẽ, tunc depugnabo per ſobrietate, quæ nobis vna, tanta bona affert, vt ſola omnem ſuauitatem huius vitæ complecti videatur. Sed miſſos faciamus homines hos monſtruoſos ciuilis, & benè inſtituti viri commoda proſequamur. Conſtat enim iam apud

Sobrietatis laudes, & præmia.

Sobrietas omnem vitæ ſuauitatem complectitur.

omnes ſobrietatem parentem eſſe omnium bonorum homini.

Ciu. Sed duo ſunt, de quibus dubitamus. Magna enim, primum eſt voluptas conuiuiorum, quas omnes gentes celebrant, & à memoria hominum ſemper in honore habita; nec quicquam tàm commune omni genti, omni ætati, pauperibus, atq; diuitibus, regibus quoque ipſis, Iudæis, Chriſtianis, Idolorũ, & Maumethi cultoribus, viris, pueris, ſenibus, mulieribus, latronibus, ac probis hominibus. Conuiuiis verò ſobrietas è regione aduerſatur. Alterum eſt, quod cum laudem ſobrietatem, qualis tamen ſit adhuc non conſtat. hoc autem caput multis diſtinctionibus indiget.

Circa modũ ſobrietatis quæſtiones 7.

Prima ſcilicet an tutum ſit experiri tantam mutationem in victu, cum ex multo minore plures antea ſani perierint.

Secunda quòd ex ea contabeſcere ventriculus videatur, nam is primum ex chilo, & cibo nutritur, vt medici volunt.

Tertia quòd iubeat Hippocrates cauere ſummam inanitionem non ſecus quam & repletionem.

Quarta quòd ſi poſtmodum aberrare cogatur, atque comedere, tunc inuſitato pondere preſſus repentinæ mortis diſcrimen ſubibit.

Quinta quòd incertum ſit, quanta eſſe debeat adhuc in genere; multo autem minus in ſpecie, & quæ vnicuiq; conueniat.

Sexta an quod morboſis, & imbecilli ventriculo ſit pro futura, alijs autem non?

Septima quando inchoanda, an iuuenta? cui bono cum tunc maximè valeant homines, an in ſenectute? quam tutum longam mutare conſuetudinem. Multi dicis iam hoc comprobarunt exitu? Qui ſcio ego ne vt in chymica duobus, aut tribus quædam forſan à malis genijs acciderunt admiranda, per quæ innumeri poſtmodum homines periclitari, & omnibus bonis exuti in ſumma mendicitate periere.

Phil. At iſtud ego vidi experimento ſæpè in his, qui noſtræ vitæ initiabantur, aliquibus eam mutationem contuliſſe pluribus longè mortem, aut morbos graues, ac penè inſanabiles. quæ omnia ex mutatione victus auidiſſe noſtri medici referebant. quæ tamen multo minor eſt hac præſcripta. Quinimo dum Papiæ eſſem, duos vidi medicos, quorum vnus nolebat bibere dũ ederet, ſed poſt multò, dicens velle vti potu delatiuo, & intra biennium ea cauſſa perijt, vt alij medici referebant. Et ipſe princeps, qui hoc genus bibendi laudauit ſi eo non vſus eſt, im-

Mutatio victus periculoſa.

probus

probus fuit,aut ſtultus;ſi vſus,cum perierit ante ſenectutem infelix ſuo inuento fuit. Alter ſemel in die cibum tantum ſumere volens breui interiit,& quotquot hanc voluere ſequi conſuetudinem,qui multi fuere. neque conſtat,an ſemel velit hic nouus medicinæ auctor, ſumendum eſſe cibum,atque ita periculoſum erit,vt dixi,adeo mutare conſuetudinem. Idq; teſtatur Hippocrates,an bis,parumq; nimis ſumet pro vice. Adde quòd tam paruo cibo,& potu ſumpto vẽtriculus,nec aptè cohærebit, nec concludetur, vt concoctio perfecta fiat. Quomodo etiam famem ſuſtinebit,vt continens eſſe poſſit. Præterea ſi cibos non pingues aſſumere velit ſolum,vt olera,& fructus imbecillis omnino reddetur. Si carnes delectum ciborum habere non poterit,multi enim præclari medici exiſtimant vitam longam,& incolumem nõ poſſe conſtare niſi cibis,qui oleum continent,non pinguedinem,ac ſanguinem. Quomodo etiam ſi quid incumbat grauius,vt labor,aut venus, vel morbus,cum tam tenui vita poterit id ſuſtinere. Leonicenus quoque qui centeſimum exceſſit annum,& mater Ficini,tum verò Ficinus qui ad nonageſimum ſeptimum peruenit inter perpetua litterarum ſtudia Iſocrates, duo Veneti Principes Landus, & Donatus: ſunt qui Cardinalem Bembũ noſtra ætate nonagenariũ obijſſe referãt: nec vllus horum tamen tam exquiſita victus ratione vſus eſt. tametſi moderata quam nemo damnat, at nolter Cornarius in hanc adeò aſperam tranſtulit,dum etiam Ciceronem huiuſmodi vitæ genere vſum fuiſſe dicit. Itaque cum plures ſenes interrogati eſſent de tam longa vita alius alia reſpondit; adeo vt quidam,neſcio an ſeriò,cum annum exceſſiſſet centeſimum dixerit,ſe nũquam ante Solis Exortum, aut poſt Occaſum exiſſe è domo.tam ridiculas afferunt vitæ diuturnæ cauſſas,vt exiſtimem fato quodam eas decerni,non vlla arte comparari poſſe. Placet id de moderata vita,& quod quidam aiebat cum cubitum iret cum cingulo ſolitum deponere curas.

Semel in die cibum ſumere malum.

Nota de cibis qui oleum continent.

Erem. Reſponſum fuit Antonij Cardani aui Hieronymi,nec id abſurdum. Atque in ea familia multi fateor propè centeſimum annum peruenere.

Cin. Imò quod maximum eſt nullus ex his,qui eo peruenit ætatis hac victus ratione adeo exquiſita vſus fertur. Quid quod videretur natura decepiſſe nos cum rectam viuendi normam, ac nobis perutilem à naturali deſiderio ſeparaſſet. Sufficiat ergo excluſiſſe cupedias, & eum appetitum, qui nos cogit ob varietatem

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

tatem ciborum iusto plus sumere. At verisimile est tantum tribuisse nobis voluntatis, quantum & necessitas, & robur naturæ nostræ ferret.

Erem. Sed tamen ò amice altius hoc consideremus hac solum ratione, quod ex tot hominibus tam pauci sequentes naturalem hunc appetitum, vt vix ferè nulli ad extremam senectam perueniant. Sed prius tamen etiam de conuiuiorum vsu, atque hilaritate dicendum est. Non possum negare conuiuia fuisse semper, semperque futura in vsu hominum: nam duo complectitur conuiuium, cibum rem maximè necessariam, & hominũ conuersationem, quæ illis propria est. Verum quod Homerus Deos ad conuiuia, vocet, vt ibi.

Conuiuiorum vsu.

Hic epulis hilaris faciebat gaudia sacris
Mactatis agnis, & cæsis littore tauris
Sacra Necatombæis celebrabat ritibus, vnà
Instaurant mensis centum taurilia, nec non
Dona ferunt, cumulantque oneratis lancibus aras.
Diique alii Ionis ætherea tum Sedis Olympo
Concilio acciti fuerant.

Perabsurdum est, vt nec Virgilius eum hac in parte imitari dignatus sit. neque laudo hominis consilium, qui vt placeret hominibus, adeo aliena de Deo mentitus sit. Sed potius illud laudandum, Deus nec edit, neque bibit, traductum tamen est ad conuiuia sine vlla solicitudine.

O noctes, cænæque Deum, quibus ipse, meique.
Ante larem proprium vescor.

Verum quando hoc a suspicione abest, non tam probo conuiuia, quam admitto. Quid enim sani inter epulas, aut pij, & inter pocula, vel a temulentis excogitari potest? Dicta sunt conuiuia συμπόσια. & σύνδειπνα. a compotatione primum, concænatio secundum; quod non solum carnes, sed etiam vinum in symposijs diuideretur; vnde etiam illud.

Conuiuij Aethimologia.

Iam sumus æquali saturi conuiuio.

Sed vndecumq; deductum nihil conuiuio cum prudentia: vtrumnè ad bellica quidem opera iuuit surrexisse à conuiuio. Et nomine quidem hilaritatis defendi conuiuia consueuerunt; Sed vere ad luxum, temulentiam, ac procacitatem tota instituta videntur. Inde celeberrimum Lapitharum conuiuium. Quid dicam de conuiuijs Romanorum Imperatorum, Tiberij, Caligulæ, Neronis, Vitellij, ac cæterorum? Siquid mali patrandum,

Conuiuia celeberrima.

dum;dies conuiuij expectatur. Perſica plena crudelitatis,& inſidiarum,Græca tumulentiæ,Italica luxus,& libidinis, vt non poſſim niſi grauiter ſuccenſere Plutarcho,qui etiam ficta fabula ſapientum ſanctum nomen conuiuij nomine defædauit, non ſolum polluit. At dicetis,nonne noſter Plato conuiuia introduxit, & Socratem in illis, vt in Phædone? Sed videte quam pulchri,honeſtique, ac decori ſermones in eo habiti ſint. Pudet pro tanti viri dignitate quicquam recenſere. Lucianus, & Philoſophorum mores ſui temporis, & conuiuiorum naturam, & fabulæ exitum ita concinnauit, vt nihil aptius. Sed nimis ſedulo conuiuijs Eraſmus in ſuis colloquijs innixus eſt mores ſuos prodens, vbi diuina, humanaq; miſcet, & exiſtimationem hominum impudenti libertate(nè turpius quiquam dicat) conuiuiorum iudicandam admitti. Fortè illud mihi obijcias ex Ethicorũ nono cap. 9. Fuerit & quędã virtutis exercitatio ex conuictu bonorum,vt Theognidi placet. Sed aliud conuictum dixerim,aliud conuiuium.Cum dico conuiuiũ, pompam quamdam eiborum, & potuum dico,inutilem prorſus ſapientiæ, atque honeſtis moribus:permiſſam ſolum victoribus,& in vxore ducenda laudabilem. At conuictum (cum edere,& bibere omnibus ex æquo ſit neceſſarium)ſapienti cum ſapiente,vt Aſclepiadi cum Menedemo vtilem eſſe fateor.

Differentia inter conuiuiũ, & conuictum.

Hæc non tam multa ob id dicta, quod conuiuia repugnare velim huic ſobrietati; verùm quoniam abuſus eſt illorum noſtra ætate,non vſus. Et vt rapias, quod profundas ſtultè, aut vt Sarmati quidam per tres dies diſcumbas in menſa, vt quidam Itali ex hoc perierint: nam ſobrietas hæc eadem apud conuiuas ſeruari poteſt,& ſi lancem tecum non detuleris. Admittuntur vnciæ duodecim cum minus cibi, potus quatuordecim, duas ex vtroque mane ſumes iturus commeſſatum. Qui lentè mandit bibendo pytiſſat ſerius aliquanto incipit, finit ante alios,multa loquitur in medio cœnæ,huic vix tantum ſuppetet temporis,vt quod conſueuit edere,atque bibere poſſit. Interfui autem non ſemel conuiuijs,vbi hæc agi à nonnullis vidi. neſcio modo an eadem ex cauſſa, ſed qualiſcumque fuerit, haud dubium eſt noſtram hanc conſuetudinem interpellare non poſſe: Neque enim accedimus ad conuiuia vt epulones, aut lurcones, ſed vt confabulemur,congaudeamuſque. Et quædam ſunt edulia poſtquam res ipſa pondere definitur ſuauia admodum, nec valetudini aduerſa, ex quibus ſi,

Sobrietas quomodo ſeruari poſſit in conuiuiis.

vel

Lactis spuma.

vel vtrem ederis, pondus non æquabis duarum vncíarum. qualis est lactis spuma vbique nota, sed Mediolani in præcipuo vsu, maximè in mensis Principum, atque conuiuiis.

Sed quantum putas inesse ponderis duobus totis carduis? qui si bene cocti fuerint etiam facillimè saltem in ventriculo concoquuntur, vt opinor. Neque enim hîc mihi sunt libri medicorum. Habeo duos, aut tres, quos mihi delegi, hi satis, superque mihi sunt. Sed iam ad obiecta deuenio; agam autem rationibus, nulla mihi, vt dixi, neque lis, neque iurgium. Sed neque cum medicis consuetudo, absint procul, quorum consiliis sæpius euertitur, dicit Cornarius, valetudo, quam restituitur. Tres coctiones esse noui, (Etenim per bellem hanc materiam attingere possum cum inter cæteros quatuor illos de tuenda sanitate Hieronymi Cardani libros ad me non multis ab hinc mensibus detulerit agnatus ille meus,) primam in ventriculo, secundam in iecore, tertiam in vnoquoq; membro. Atque in singulis coctionibus, quæ ritè peragun. tur, tria resecantur, alimentum, excrementum vtile, atque inutile: vitiosa verò si fiat, resecatur excrementum, vitiosum, atque præter naturam; sin autem adhuc deterior non solum vitiosum excrementum resecatur, sed quod vtile esse debet corrûpitur: sin autem adhuc deterior etiam ipsum alimentum vitiosum fit.

Tres cibi coctiones.

Ex triplici coctione quid producatur.

Cum ergò tres, vt dixi, sint coctiones, erunt nouẽ quæ producentur in corpore nostro: tria vtilia excrementa, tria inutilia, & tria alimenta; veluti in prima coctione alimentum, quod nutrit ventriculum vtile excrementum, chilus, inutile excrementum feces. Aliter secundum Galenum etiam alimentum chilus totus, excrementum vtile pituita, inutile autem feces. In secunda coctione alimentum sanguis, vtile excrementum humores singuli, qui in vasis seruantur, inutile vrina. Alter secundum eundem, alimentum, & sunt quatuor humores potestate in venis contenti: excrementum vtile, humores in vasis seruati, excrementum inutile vrina. Aliter, & consurgunt quatuor diuisionis membra secundum Principem. Sed cum non sim medicus, nec tam diligens inquisitio huic proposito sit necessaria, huiusmodi contenti erimus. In tertia autem coctione alimentum, quod transit in membra, inutile excrementum, vapor, ac sudor vtile autem semen. Aliud supponendum, quod est luce clarius: à cibus debet cõcoqui a calore

re, calor in senibus est minor, ergo senes, vt magis senescunt faciliori coctione indigent alimenti, aliter, vt dixi, vitiabitur alimentum, non solum excrementa augebuntur, & vitiabuntur. Dixi enim quatuor esse incommoda, primum vt excrementa inutilia augeantur, secundum vt augeantur excrementa inutilia, & minuatur alimentum; tertium, vt augeantur omnia excrementa, & vitientur, & minuatur alimentum; quartum, vt excrementa omnia augeantur, vitienturque; ipsum autem alimentum minuatur, & vitietur, quod palam est adeò esse malum, vt pessimum sit, & mortem afferat, cum reliqua morbos graues iuxta ordinem dictum maiores, & minores pariant; in ea autem ætate etiam insanabiles. Oportet ergò vt facilius concoquatur alimentum, vt melius, & vt paucius, quia minus absumitur: vt ergò facilius concoquatur, ex agentis parte duo tantum sunt auxilia, vt calor excitetur, & hoc exercitatione, & vocatis Elyfir; vt verò amoueantur impedimenta, & eadem exercitatione, & leui euacuatione opus esset. verum vires neutrum ferunt, si graue sit, ergò ad materiam, quæ concoquitur potius, quam ad calorem ipsum confugiendum est. Ergò cum duo quæramus, vt cibus facilius concoquatur, & melius; atque id vnum est, quamquam duo esse credantur, quoniam vnũ ex alio sequitur, & vt parum nutriant, parua quantitas cibi in vtroque auxiliabitur, Secundum vt ex qualitate facilè concoquatur, & mediocriter alat; nam si plurimum, repugnabit secundæ intentioni; si parum oportebit plurimum cibum assumere, atque ità difficile concoquetur. Tertium est, vt multa aqua subactum, & multo igne concoctu facilis coctionis reddatur. Ergò vt sensim calor minuetur, ità videntur hæc temperanda, atque ciborum quantitas minuenda, augenda facilitas tum ex illorum natura, tum ex arte, seu vt dixi coctione.

Ex vitiata coctione, quatuor incommoda.

Cibi conditiones.

Cin. Videris mihi egregius medicus; quomodo id fieri potest?

Erem. Librum illum, vt dixi, hoc toto Autumno legi.

Cin. Plus præstitit auctor ille, quàm Thessalus: nam Thessalus sex menses exposcebat, hic auctor duos vix.

Erem. Iocaris, nam solum vnum de sanitate tuenda scopum hac in parte attingit. Etsi vis omnem rationem tuendæ sanitatis: ea autem est vix quinta pars totius artis.

Cin. Imò ea sola tres partes continet, vt sit longè maior dimidio.

Erem. Nugas agis, & rides: sed si placet, sequamur, nondum enim ad medium deueni.

Ciu. Sequaris, nam ego existimabam te concluſiſſe ſermonem.

Erem. Vah quid ais? ergo vt ſenſim hæc mutatio fiat, omnis ratio ſuadet: Experimentum contrarium docet in illis tribus viris. Itaque hæremus in vado iam. Oportet nos explicare ex eo: inquit Cornarius videns, quæ obijci poſſent. Natura paucis, moderatiſque humoribus prædita meliores efficit operationes, atq; concoctiones; vnde membra redduntur robuſtiora; ex quo robore longior euadit vita, & incolumior, vt ſtatim ab initio danda opera ſit huic moderationi vitæ, & quanto citius, tanto melius. Addo duas alias rationes; prima mutatio conſuetudinis eſt periculoſa, ergò quanto rarius fit, tanto melius. Optimum igitur eſt, vt tantum ſemel ſe ad hanc victus rationem accomodet non ſæpius. Secunda eſt, quod in mutationibus periculum eſt de errore, ergò quanto rariùs fit, res eſt tutior. Et verè in facienda huiuſmodi mutatione oportet conſumere multos dies, nè homo ad nimis tenuem, aut craſſam deueniat. Sed contradices ex Hippocrate, qui iubet ſenibus non dandos cibos multos; habentibus autem multum calorem non ſolum vt le eſſe dicit multum alimentum, ſed neceſſarium, alioquin, inquit corpus abſumitur: ſi ergo in triginta ſex annis dederis tam parum cibi, quantum in ſeptuaginta, ergò vel in triginta ſex annis corpus abſumetur, vel in ſeptuaginta calor ſuffocabitur; aut vtrumque vt eueniat, neceſſe erit.

Natura, quando efficit meliores operationes.

Contradictio ex Hippocrate.

Ciu. Hoc ſanè videtur argumentum validum, nec ſcio quid poſſit reſponderi.

Reſpõſio.

Erem. Bifariam poſſumus dicere, vel caſu conueniſſe ab initio huiuſmodi victum tenuem, quia plus non poterat concoquere ventriculus ob imbecillitatem, cum is ęgrotaret. Et ità quantum calor eſt in poſterum diminutus, tantum vis ventriculi eſt adaucta, & confirmata. Ita in hoc caſu videtur occaſio eripuiſſe modum cognoſcendi & dijudicandi rationem victus, & hanc dubitationem. Aliter & generaliter (quod ſolum, vt reor dici poteſt verè) dicendum eſſet, quod cibus in iuuenta eſt ſufficiens pro calore naturali illo (nam aliter eſſet error) & quantitas educitur alimenti ex illo cibo maior in iuuenta, quàm in ſenectute, quia temperatura hominis eſt humidior. In ſenectute ergo ex eadem quantitate cibi minus educitur, & æqualiter elaboratum, & ſiccius.

Ciu. Illa ſatisfaciunt modo poſſis oſtendere vera eſſe.

Erem. Rectè dicis; ſed incipiam à ſiccitate. Si enim nutrimentum

debet

debet esse simile ei, quod nutritur, & in senectute corpus est siccius; igitur præstat alimentum esse siccius. Pari ratione, & paucius nè calor obruatur à multo alimento. Sed & æquè benè concoctum, id ratione finis aliter in morbos incideret, & breuior vita euaderet. Sed & si minus exugitur alimenti æqualiter poterit concoqui ab exiguo calore, vt maior quantitas à maiore calore, nonnè? Victus in senibus qualis.

Cin. Hæc clara sunt, & perspicua, & quod ità esse debeat, necessarium manifestè est. At solummodo ostendere oporteret, qualiter minus alimenti detrahatur ex eodem cibo in senectute, & siccius; nam de minori alimento experimentum docet, quod minor ignis minus olei detrahit. quis dubitat? sed quomodo siccius futurum sit non video, sed humidius potius, quemadmodum in destillationibus contingit: quanto enim magis elaborata, eo magis etiam terrea sunt, ac sicciora, quæ prodeunt.

Erem. Non est facilè hoc certè demonstrare, nihilominus si quis rem animaduertat, quo nammodo caro assata contrahatur, elixa distenditur, & dilatatur: Similiter & pingue quod defluit ex assatione est crassum, ac siccius manifestè, quam in elixatione, ità calor senis siccus minus exsuggit humidi, & illud etiam siccius, ac crassius efficit: quarè fieri potest, vt eadem ratio victus moderata satisfaciat in omni ætate, quæ sit vltra incrementum. Atque ita esse credo, postquam experimentum respondet rei. Quinimò vidi ego Io. Baptistam de Iustis Cæsenatem, (de quo alibi etiam mentionem faciemus) qui parum illud, quod edit in multas vices partitur, & nunc nonagesimum octauum annum agit. verum si quis moderationem sequatur, & ad faciliora transeat in dies melius acturum arbitror. Sed ad obiecta veniendum est, vt clarius veritas patefiat. Calor siccus senis minus exsuggit humidi.

Primum, ac validissimum certè fundamentum est tantã mutationẽ periculosã esse cum ex lõgè minoribus plures interierint. Et quamquam his, quos nuper dixi, res benè cesserit, id contigit, quoniam omninò perseuerantibus in priore institutione pereundum erat. quid mirum est satius fuisse tentare fortunam. At audacissimi viri esse crediderim, cum alioquin sanus sit, tantam velle in viuendo mutationem tentare, sed si cõtingeret occasio huiusmodi dicam quid facturus essem. Principio ergò detraherem duodecimam partem cibi, ac potus, ità tamen, vt potus cibo æquaretur; deinde post quindecim dies, si melius me habere perciperem, duodecimam rursus residui de- Responsio ad primam obiectionem ex 7. circa modũ sobrietatis.

traherem, atque ita per menſem experirer, atque eo vſque ſem per duodecimam reſidui auferendo, donec relinqueretur, quãtum vires ferrent, nec vllum ſequeretur incommodum.

Phil. Tum ego rogaui, vt clariore ſermone rem explicaret, locupletique exemplo.

Erem. Petis vt rem exponam exemplo, & faciam libenter; res eſt nimis vtilis hæc. Bibat quis vini, & aquæ in ſingulos dies vncias ſexaginta, edat triginta duas; ſubtraham vinũ, aquamue, & redigam ad quinquaginta; cibum verò ad viginti octo vncias, & ſi meliuſcule ſe habuerit poſt quindecim dies redigã potũ ad quadraginta vncias, cibũ ad viginti quinq; poſt menſẽ ſi meliuſculè ſe habuerit, potũ quidé ad triginta vncias, cibũ ad viginti vncias, & vſq; ad viginti duas: atq; in hoc propoſito permanebo per integros duos menſes. Quod ſi rectè ſe habuerit, ſed tamen non plenè, potũ quidem redigam ad viginti quatuor vncias, cibum vero ad decem octo. interim perſeuerabo in hac viuendi ratione per anni dimidium; fieri non poteſt, vt error ſiquis contingat non detegatur, ſeu nimiæ ariditatis, ſeu humoris nimij, ſeù cibi tenuioris, ſeu plenioris, ſeu quod in vtroque peccetur. Quod ſi ſuperflua ſint ambo, (quod ex copia excrementorum dignoſcitur) rem adhuc mutabimus, cibum quidem ad ſexdecim vncias contrahendo, potum ad decẽ octo, atque ita per annum totum, niſi euidens malum appareat, experiemur. Demum ſi neque hoc ſufficiat, retrahemus cibum, potumque ad quatuordecim vncias; poſt etiam ad duodecim, ſi adhuc excrementa abundauerint. Vnde paret (dicit ille liber) malè naturam ſenum intellectam eſſe à Galeno: neque enim abundãt ſenes pituita, ſi rectè regantur; at cum abundãt, ſignum eſt non rectè regi; non ergò ſimul, ſed ſenſim, & per longa temporis ſpatia tentare oportet hanc mutationem, ſicque tuta erit.

Exemplũ circa detractionẽ cibi, & potus.

Male natura ſenem intellecta a Galeno.

Cin. Sed hoc non videtur ſufficere; nam non mutatio ipſa periculoſa eſt, ſed quod ex mutatione conſequitur. Vnde aberrant grauiter, qui putant Germanum ſi in Aphricam tranſeat, periclitari de vita [contingit enim hoc in his, qui æſtiuo tempore ex Marſis, quos nunc Abrucenſes vocant, Neapolim trãſeunt interiectu centum millium paſſuum vix, ſed pro miraculo, cum ſit recta à Borea ad meridiem; marſique exporrecti ſint vento boreali, protecti ab auſtrali, contra Neapolis.] Sed quòd quanto diutius moram ibi traxerint, tanto maiore ſunt in pe-

in periculo; velut etiam in mutatione ætatum, quoniam temperamentum, nulla est sine magno metu, atque periculo. Cum ergo ex ea victus ratione, adeò mutetur temperamentum, & membra, quæ plurimo humore madescere consueuerunt, eo destituuntur, contrahuntur, siccantur, obstruuntur, melancholiaque abundant, somni minuuntur, morbique lethiferi superueniunt. Si ergo quanto diutius hoc processerit eò maiore in periculo versatur homo, quàm temerariè, ac inconsultè quis se huic tanto discrimini exposuerit; vbi quanto magis processerit, periculum augetur.

Erem. Non facilè assenserim tibi ò Maurocene, quod homo quanto diutius moretur in aliena prouincia, & maximè contrarij temperamenti patriæ suæ, eo magis periculo obnoxius sit, nam scimus quosdam Lusitanos in Aethiopia consenuisse, alios Indos in Hispania, Germanos in Italia; quin imò videmus Longobardos, vt ita dicam, euntes Romam, aut breui interire, aut si paululum restiterint, postmodum incolumes ibi degere. Multa commoda tempus affert, vsum, scientiam rerum, munimenta, quietem, quæ cum desint in principio longè maius est periculum. Sed & in mutatione victus alia longè ratio est, quam in aëris mutatione; aeris enim mutatio & mala est, & rarò bona, aut nunquam: at victus recta ratio per se semper vtilis est. Quo circa, vt dixi, cum sensim adhanc accedamus, ad illam repentè; hæc victus tutior longè est, quam mutatio regionis.

Aeris mutatio raro bona, aut nunquam.

Ciu. Consuleres ergo, vt hanc inirem victus rationem?

Erem. Dicam de omnibus quid sentiam. nunc ad obiecta respondendum mihi duxi.

Ad secundam ergo rationem dico, ventriculum non periclitari vllo modo, cum is primas partes sibi chili pro nutritione vendicet, vt neque illi, neque iecori, nec cordi deesse quidquam possit, quod etiam à Galeno scriptum refert. Forsan non malè coniectaremur in huiusmodi casibus primum affici cerebrum, quod est satis verisimile, nam, vt dixi ventriculus primum recipit cibum, estq; dominus omnium ante alia membra. Iecur primum exsuggit totum chylum, vt se alijs membris non subministret, satis illi sit, vt vix etiam in magna fame macrescat: Cor vt tyrannus violentissimus omnia etiam vi summa ad se trahit, cerebro nihil horum adest, quo sibi plus arroget: nam & procul est, & portionem solum alimenti delegati aliorum arbitrio

Responsio ad secundam obiectionem.

Lib de Marcore.

bitrio membrorum recipit: nec cum exangue sit, validam habet vim attrahendi. Sed vt primùm quis læditur, oculi obtenebrantur, homo in incertum it; vigor mẽtis hebetatur; ideoque tum si hoc incidat, desistendum ab ea victus ratione. Nonnunquam contingit quibusdam viris, quod calidiorem habeãt ventriculum, vt obtenebretur visus ob bilem, quæ in illum influat, his incommoda forsan fuerit hæc tam tenuis victus ratio; aut dandi sunt cibi duriores, qui diutius maneant in ventriculo: velut carnes apri, aut vituli, aut leporis; neque enim idem pondus cibi æqualiter nutrit, nec æqualiter satiat, nec æquali tempore moram in ventriculo trahit. Optime autem consuluit Cornarius vitellum oui quotidie assumendo, vt esset, quo nutriretur ventriculus commodè. idque certè vtile est in omni ætate. Sed neque dubium est assumi illum oportere ante alios cibos concretum, & coctum in validiore ventriculo, molle autem, & apalum, vt dicunt in imbecilliore. Atque id negari non potest, quin sit optima ratione factum.

Cibi inæqualitas.

Ad tertiã obiectionẽ responsio.

Ad tertiam non tam difficile est respondere: nam hæc quantitas cibi tam pauca his, qui plurimum exercitantur periculosa esset; sed tamen & ille dixit non repleri, & impigrum esse ad labores, atque hæc de communi victus ratione. De hac autem liquet, non debere eum, qui tam tenui victu vtitur, exerceri vltra deambulationes, & eas sufficientes, sed quæ omnino ab omni sensu lassitudinis, atque molestiæ sint.

Ad quartã dubitationem.

Quod vero obijcis de errore non ita est; nam statim quidem magis patiuntur, non tamen ægrotant, quia prauis humoribus carent; nec bonorum copiam, quæ prægrauet, habent: sin vero dolore, & pondere, atque anxietate premantur, vomitu liberari facilè possunt. Errant ergo, qui putant repentinas illas mortes, quæ repletis cibo superueniunt, contingere solum ob replerionem; sed contingunt magis ob humorum repletionem præcedentem.

Ad quintam docui modum, vt sensim in singulis experiendum sit.

Ad sextam dubitationem.

Maior sanè est dubitatio, quæ sequitur, scilicet an hoc conueniat tantum imbecillem habentibus facultatem naturalem, seu in ventriculo, seu in iecore?

Et sanè dubium non est, hoc tam esse necessarium, quàm vtile: neque incommodum vllum in huiusmodi affert, magis ergo his conuenit, quam sanis hominibus: an autem solis ægris, iam vt di-

vt dixi, declaratum est sanum ventriculum, vt etiam corpora sana exigere maiorem cibum, & ferre: Ergò in sano ventriculo etiam huiusmodi tenuitas victus conueniet; sed non adeò exquisita, nec erit tam necessaria, quæ debita est; nec tam tuta, quæ est tenuis valde, nihilominus debita conueniet. Quærit quispiam quando inuentum hoc? quod sciam non ante nos: sed quid obest, quam multa alia typographica, bellicarum machinarum ignearum, pyxidis nauticæ, tum multa alia; vel quod essent admirabilia, vel parum grata, vel obscura ratione constarent. Hæc & si forsan non obscura sit, est tamen admirabilis, parumq; gratum inuentum ad vtilissimam rem. Cui bono dicis? imo senibus perquam necessaria, qui vndequaque collabuntur.

Rogas an in senectute mutanda sit consuetudo: nulla sanè, nisi quæ sit cum euidenti vtilitate. Nonnè vides hic nihil mutari, non horas, non consuetudinem cœnæ, & prandij, sed omnia remitti. Non tam acres, & exacti iudices debemus esse tuendæ consuetudinis, vt nolimus labores remitti ea ætate; quod si omnes, qui possunt nullo docente id agunt, & si non agant, periclitantur, cur etiam cibos non minuemus, & iuxta cibos potus; cum hæc quatuor Hippocrates se consequi tradat cibos, potus, somnos, atque labores. Dicis experimenta esse fortuita; non equidem; nec nunc primum inchoatam hanc rationem, sed animaduersam. Nam antea plures non prandebant, alij parum cœnabant, alij modicum sumebant cibum, quidam circumscriptum, alij alia ratione, quæ omnia eò spectabant, vt cibum constanter senes modicum caperent. Itaque cum hæc diuersa ratione constare viderentur, demum deprehensum est, eam esse vnam paucitatem, scilicet ob id maiores nostri in regulam constantem hoc non adegerint, sed in diuersos modos. Quin imò Galenus, medici, & grammatici, & rustici vitæ longitudinem ita diuersam esse existimauit, vt cum hoc esset principale propositum, & primus scopus, non ausus sit aliquam de eo assignare methodum, aut rationem; sed diuersa scribendo in omnibus mendacem, & inutilem se exhibuit. Quare de consuetudinibus illis mutatis, cum per se non essent bonę, nil mirum est omnes aberrasse; vt etiam nostra ętate nimis Galenicus Curtius mutando consuetudinem vberioris prandij iam antiquam in copiosiorem cœnam, Pont. Max. Clementem septimum occidit, quoniam hæc consuetudo non erat per se

Ad septimam obiectionem.

Responsio ad rationes adductas pro obiectionibus.

Mors Clementis Septimi P.M.

per se cõtraria diuturnitati vitæ, vt nec mutatio vtilis, sed alio spectabant, scilicet ad commodiorem coctionem, & hoc multa habebat pericula, & impedimento, sed cibi diminutio nulla prorsus, nisi cum fuerit nimis magna; nam in alijs volo seruandam esse consuetudinem. Dicis, non bene concoquet ventriculus parum cibi, quia non amplectetur, nec cõcludetur perfectè? Hoc forsan verum est, sed ad perfectam coctionem non necessarium est, vt perfectè concludatur: cum omnes bibere possint à cibo, & trasmittere cum volunt: neque est necessitas huius, vt in conceptione de vtero. Sed quod amplectatur optimè, hoc verum non est. Et si dicas vacuum spacium superius relinqui; at hoc necessarium est, & secus malè agitur in his, qui adeò se replent, vt ad gulam vsque potus perueniat. Quin imò si superabundet, puto iecur id, quod superfluum est ad se statim trahere, vt chylus æquetur, & propriam, ac debitam retineat spissitudinem.

Ad famem sustinendã, tria præsidia.

Quomodo famem sustinere possit, tria sunt præsidia, consuetudo, mora, & cibi natura, at de hac cras dicemus. Consuetudo ergo, quod cum pauci dies præterierint, & si in primis diebus statim ab assumpto cibo solito minore fameſcat, & à potu sitiat, post paruulos dies cessabit vtrumque. Deinde quod post horæ dimidium ab assumpto cibo, etiamsi aliter sit consuetus plus sumere', nihilominus cessare solet fames, cum ventriculus concalefactus, vt concoquat, non vt trahat, laborat. Qualibus cibis vsurus sit, cras docebo, cum etiam vsum meum, quem vidistis, clarius, & exactius exponam.

Seni labores noxij.

De laboribus dixi seni etiam, si victu exquisito non vtatur, labores omnino noxios esse. Et vt vtenti exquisita victus ratione grauiores sunt, ita nõ vtenti longe periculosiores: est enim velle iuuenem in vtroq; agere, quod omnino lachrymabile est; potius, quam ridiculum, & exitialis ostẽtatio. Vnde valeat Plinius Secundus cum suo Spurinna tametsi dicat; Inde illi post septimum, & septuagesimum annum aurium, oculorumque vigor, inde agile, & viuidum corpus, solaque ex senectute prudentia. Quantum refert hominem artis esse peritum, qui scribat, aut falcem ponere in messem alienam. Hunc Spurinnam si huic ostentationi operam non dedisset, constat centum, & amplius annis viuere potuisse, quem tamen quod amplius illius non meminerit, constat paulo post obijsse. Quod enim mentionem faciat studiorum, hoc est, vt dici solet, miscet quadrata rotundis.

tũdis. Hæc .n. ea ætate glorioſa ſunt, & vtilia, & innoxia; & ſi etiã noxia eſſent, adeo decora ſunt ſeni, vt vitam ſtudijs poſthabendam eſse ducerem. Sed iam ſumus extrà hanc aleam; nihil enim vtilius ſeni ipſa contemplatione: quod aliquando ſum oſtenſurus, ſi vos tandiù apud me diuerſitati fueritis, vt quæ in animo habeo, poſſim explicare. De ſomno non habebo ſermonem, ſed ſi ſobrietas vtilis eſt ad omnes actiones, etiam ad moderatum ſomni vſum non erit incommoda.

Tandem vrges exemplis contrariis, multos ad longam peruenisse ætatem, qui eiuſmodi abſtinentia minimè vſi ſunt; nec eorum, qui ad illam peruenerint, quemquam adeò abſtinentem fuiſse. Nec æquam fuiſse hominibus naturam, ſi eum nobis ingenerasset appetitum, quo vita, & ſalus adimerẽtur. Verum id naturale cuique eſse, quod vtile etiam illi eſt, & ad optimum finem; nam de cupedijs haud obſcurum eſt tam longè abeſse ab auxilijs producendæ vitæ, atque ſalubritatis, quam etiam abſunt à bonis moribus, & naturali affectu. At ego id dicam, omnes, qui diù vixere, dico valde diù, aut robuſtiſſimos fuiſse adeo, vt ſi ſine hac norma tandiù vixerunt, longius fuiſse victuros; aut defluxionem aliquam naturalem, non dico artificioſam paſsos; quales ſunt hæmorroides, vlcera crurum, bubones quidam anniuerſarij, aut lepra perpetua, aut temporanea; aut omnino abſtinuiſſe à cibo, ſi non hoc, alio ordine. Quidam enim ſingulis ſeptem diebus nihil edunt; quidam ter in ſingulis ſeptem diebus ſolo prandio contenti ſunt; alij alia ratione, vt res ad idem redeat.

Reſponſio ad exempla pro dubijs allata.

Cur multi ſine regula diu vixere.

Quia vero obijcis vitam hominis fato, aut natura conſtare: de fato locis ſuis ſatisfactum eſt; nam idem argumentum ſi efficax eſſet, demonſtraret non eſſe ſerendum, vt meteremus; non eſſe edendum, vt ſatiaremur in fame, non opus eſſe induſtria, aut labore ad diuitias parandas; quid turpius, quid abſurdius? Ad naturam autem ars plurimum confert; qui vocem habent vitiatam nulla muſica canori euadunt; attamen & qui bonam habent vocem, non fiunt ſine arte muſici. In cunctis magnis rebus naturam pro ſubiecto, artem pro adminiculo habere oportet: Sed & omnibus ars ſemper vtilis fuit. Verum cum ſalubritatem docere velimus alios; nos ipſos nobis vt in fabula, non male conſulere decet, namque hora iam quarta noctis, vt audiuiſtis, exacta eſt.

Ad naturã ars plurimum confert.

Phil. Itaque cœnam exinde parauimus, ac diſcubuimus. A cœna

attulit Eremita vaſculum, colluitq; os.

Hic Ciuis. Cur id agis?

Erem. Moris eſt ſingulo menſe bis hoc facere: vides adhuc manere dentes; atque ſi tempeſtiuè id cognouiſſem, forſan & reliqui, qui exciderunt manerent.

Ciu. Quonam conſtat?

Vinũ pro Dentium cuſtodia.

Erem. Vino græco; & annus eſt octauus, ex quo confeci illud delato per amicum, qui fortè hac tranſijt. Modus eſt hic, in octo libras eius vini vncias quatuor optimi cinnamomi, & ſemi vnciam aluminis communis, quod Rochæ vocant, incoquo donec tertia pars abſumatur, atque ita ſeruaui.

Phil. Mane facto ſequentis diei ſurreximus, ambulauimus; dies erat admodum ſerena, & clara, ſed frigida; flauerat enim, vt opinor nocte tota Boreas ventus ſub monte ad auſtrum ſpectante, limaces ad centum collegimus, concluſas teſtas, cyprinoſque in piſcina piſcati ſumus, olera collegimus, & præſertim betas, & rorem marinum inuenimus, & paucula tubera, lætique domum reuertimur. Paramus prandium tempeſtiuè hora ſiquidem ſextadecima; atque ego interim equos curaueram: cœnatio iucunda, ac quaſi tepida occluſis foribus, atque accẽſo igne inuitabat nos ad audiendum, quæ ſupererant. Itaque Ciuis noſter inquit.

Ciu. Nunquam piguit ò generoſe, neque vt opinor, pigebit huius itineris, atque aduentus ad te, cum multa non ſolum commoda in vita didicerimus, ſed etiam ſim expertus; vt videaris ſupra expectationem beatè viuere, non tantum beatam vitam expectare. Verũ nulla mihi dices pulchrior affulſit ab ipſo aduentu meo in hanc tuam domum. Videoque nec deeſſe neceſſaria, nec cupedias ipſas. Sed rogo te, an ſolum cauſa noſtra tam ſplendidè conuiuaris? an antea etiam? nam vt video nihil tibi deeſt.

Eremitæ victus norma, ac vera ratio.

Erem. Intelligo quid velis: aues cognoſcere quonam pacto ad tantam peruenerim ſenectutem, præſertim tam integer corpore. Vita mea, vt cæleſtium corporum motus, & Populi Romani inſtituta, neque omnino ſimplex, ac vndequaq; ſimilis, neque varia, ſed conſtans, atq; æqualis varietatem non paruam continet. Non eadem mihi ratio victus, quam cum Eremum ingreſſus fui; nec eadem æſtate, quæ hyeme; nec eadem diebus ſacris, ac vulgaribus: non eadem etiam cum me exercui, & cum quieſco niuibus obſitus. Maximus, vt dixi, labor eſt colligendo-

rum

rum lignorum,sed & tritici,post fructuum,reliqua non sunt paria,sed exercitatio quædam. Olim quod sim corpore prægrandi cum non possem mediocri cibo satiari,spumam lactis cum pane edere solebam,vt paucis vncijs appetitui satisfacerem;& cum bilioſus ventriculus, vt citò quod in eo continebatur,dissolueretur,castaneas assatas cum pane esitabam. Nunc verò ab hoc incommodo liber sum,sed quandoq; videntur deficere sensus;tum vero relictis alijs,vitellis ouorum cũ pane vescor;nunquam tamen pondus transgredior, plerumq; intra subsisto;horum causas gallinas has cælibes alo: hoc enim auium genus, vt nostis, etiam sine gallo fœcundum est. At multitudini cibi, dum antea ventriculus latraret, succurri panico pro ferculo sumpto, leue enim est,& parum nutrit,item pane spongioso, quem è flore farinæ multa aqua subacto, eaque leuissima conficiebam, oleribus præterea leuibus in iure testudinum, aut piscium coctis,abiecto demum ipso iure. Tum verò & mel coctum,& despumatum,atq; aqua mixtum, non secus ac lac in spumam suauem redigere soleo, videtis instrumentum. Sed & panem cõtero,additaq; aqua denuò cum mellis modico,& olei panem efficio foliatum, & rotundum,quem nebulam vocare solent. Atque hæc prima fuit generalis ratio victus mei. At secundam duxi ab ætate cum in Eremum, vt dixi,quinquagesimum nonum agebam ætatis annum;tum vero cibi,& potus ad xxxx. vncias sumebam singulo die: vbi sexagesimum excessi contraxi ad xxxvi. à septuagesimo autem ad octuagesimum vsque xxxij. vncijs contentus fui, post verè vsque ad nonagesimum xxvi tantum sumebam. Post non sum ausus quicquam auferre,memor quod Cornarius repetat toties quam sit parua,& exilis hæc quantitas. Sed tertiam inuexi, vt sorbitionibus magis vterer, ac liquidioribus. Posthac si opus erit ad extremam deueniam. Sed prius quartam exponam rationem, quam obseruaui,scilicet, medijs vt temporibus anni æqualem facerem potum cibo;æstate plus potus,minus cibi, hyeme plus cibi & minus potus contraria ratione. Sed & quintam rationem obseruaui,vt hyeme plus nutrientibus,minusq; coctis vterer,æstate oppositio modo coctiora, sed quæ minus nutrirent, memor dicti illius, ventres hyeme, & vere natura calidissimi, & somni longissimi: in his ergo temporibus alimenta plura danda sunt. Cum ergo ex præscripto totius summæ potus, ac cibi,non liceret variare quantitatem tribus his præsidijs vsus

Olera cocta in iure testudinũ.

Mutatio victus secũ dum ætates.

Obseruatio per anni tempora.

ſum, vt hyeme plus cibi, & qui plus nutriret, vt calori magis conſumenti ſatisfieret, darem; at & minus coctum, vt diutius in ventriculo moraretur; ita enim conſulit ille liber: ſic æſtate contrario modo ſingula medijs temporibus, quaſi medio modo, ſed tamen ita, vt ver hyemi, autumnum æſtati magis aſſimilarem; cocta magis, & minus quæ nutrirent dando autumno; vere autem minus cocta, & quæ magis nutrirent; vt non eſſet ſimilitudo inter ver, & autumnum; niſi quod parem facio in his temporibus potum cibo. Cæterum nec in reliquis tam diſpar eſt ratio autumni à vere, quam æſtatis ab hyeme. In poſterum ergo ſi hæ quinque rationes ſufficiant, ad extremam deueniam, ſcilicet, vt cibum, & potum in tres partes diuidam; magis enim occurritur incumbenti debilitati cerebri, de quo, vt ille dicit, & experimentum aliquoties me admonuit, magis timendum eſt, & facilius concoquitur dimidium cibi in dimidio temporis, quã duplum in duplo; quod ille probat hoc experimento, quia homo facilius mediocriter ambulando feret põdus duarum librarum, quas ſolas commode deferre poteſt, quã quatuor duplo lentius ambulando. Et quid opus eſt his ſimilitudinibus? iam nunc aliquando experior, quoniam ſi parum cibi manè aſſumam, longè celerius eſurio, quam ſit pro ratione diminutionis cibi, quam feci, vt clarum ſit exiguum cibum manſum, celerrimè, & facillimè confici; ideo neceſſarium, & perutilem eſſe ſenibus extremam ætatem agẽtibus: vnde etiam in languentibus cum in extremo fuerint imbecillitatis virium ſumpta eſt conſuetudo partiendi cibum in plures partes, & per tempora: quamquam poſtmodum & in hoc excedant: nam ſufficiat ſingulis ſex horis; vt ad ſummum in ſenibus ſanis ter, in ægris autem debilibus quacumq; ſint ætate quater. Sed & (vt ad inſtitutum redeam) potus copioſior æſtate, & autumno, quam cibus melius ſatisfacit naturæ, & magis ſitienti, & ſudorem excernenti, & vaporem copioſiorem. Contra hyeme, & vere minus ſitiunt, non ſudant, minus vaporis exhalant, magiſque eſuriunt. His ergo rationibus vitam, vt videtis, ſatis incolumem vſque nunc duxi; non violenter defenſis ſenſibus omnibus integris, ſed naturaliter, & placidè ſeruatis, vt neque oculi cæcutiant, nec aures grauius audiant, quam prius, nec vox rauca euadat, nec tuſſis infeſtet.

Alia victus ratio.

Modus partiendi cibum.

Cin. Pla-

Ciu. Placet mihi modus hic, & rationi longe plus congruit, quam ille ciuis noſtri, ſed facile eſt inuentis addere. Verum exiſtimas nè prandij, & cœnæ rationem ad hoc eſſe neceſſariam?

Erem. Res aperta eſt; nemo non agnoſcit opportunitatem, ſiquidem hoc primum principaliter, nec ad valetudinem tuendam, nec ad producendam vitam eſt neceſſarium: ſed eſt modus quidam, in quo attendere oportet conſuetudinem. De cenæ & prandii ratione.

Ad occaſionem verò reſpiciendum, ſi vel tardè prandendum, vel à prandio laborandum, ſcribendum, ſtudendumuè, leuiter prandere oportet, cænare vberius. At ſi tempeſtiuè prandendum, vigilandum nocte, prandium cæna maius ſit, cæteraque hac ratione.

Ciu. Optimè videris illius libri rationem tenere, vt nihil melius, atque is liber talis eſſe videtur, vt rem hanc optime doceat. Sed quædam tamen, ſi non plura addis, deeſſe videntur.

Erem. Quænam?

Ciu. Tria, primum quod poſt extremam illam ſenectam non ſubſiſtendum eſſe ducerem in ea quantitate cibi, ſed ſi imminuatur, & cibus pluris alimenti loco eius ſubſtituatur, adhuc progredi poterit, vt ſint ſeptem non ſex obſeruationes; velut ſi quis panis vncias quatuor, mellis & ouorum vncias duas offerat; panis autem ex iure ſit, erunt vnciæ decem cibi, quæ nutriant pro vndecim cum dimidia, adiecto ferculo: vndecim autem cum dimidia tanto minores ſunt tredecim, quanto calor centeſimi anni minor eſt calore agentis nonageſimum quintum annum. Quod etiam experimento conſentit: nam Cæſenas ille, vt audiui fermè vino ſolo nutritur, quod in nutriendo non imbecille ſit comparatione habita ad concoctionis facilitatem. Proponit tria dubia.

Aliud quod deſiderabam eſt, quod non docuiſti, quando incipiendum ſit; nam & ſi in habentibus ventriculum imbecillem quacumque ætate imbecillitas inchoauerit, docueris ſtatim eſſe incipiendum, hoc, non tam ob vtilitatem, quam neceſſario facere oportet; at in ſanis cum plus cibi ferant, quam ægri, pluſque ſit neceſſarium, vel non

eodem

eodem tempore, vel non tam exquisita victus ratione vti oportere.

Optarem demum scire rationem huius abstinentiæ veram. Siquidem quod prima fronte videmus, apparet naturalem calorem imminui bifariam, & subtracto fomento, & exercitatione sublata, quam auferre necesse est adeò imminutis ex inedia viribus. Quinimò tales vix consistere possunt, nec tuto incedunt: neq. sibi incedere tutò posse videntur. Omnia igitur hæc explicare diligenter nè graueris; quæ si in eo libro scripta sunt, facilè erunt; si noua, tanto admirablliora: nam etsi animi immortalitas nobilior sit, & longè dignior inquisitione; plures tamen maximè ex beatis istis, atque potentioribus inuenias, qui vitæ huius longitudinem, atque senssuum ad extremam senectam incolumitatem præoptent, quàm animi immortalitatem.

Phil. Subticuit paululum ad hęc verba admiranti similis Guascus, deinde sic orsus est.

Erem. Non absurdè ò Maurocene & pro dignitate tua dubitasti, atque eo magis id mihi iucundum est, quod in rem meam facere id posset. natura enim non solum ad vitam producendam procliues sumus, sed etiam ad spem vitæ ipsius producendæ. Verùm quod mouit eum auctorem, vt hoc septimum non adijceret, existimo fuisse; vel quòd omnino ex aliis dictis manifestum foret; vel quòd parua esset spes in tam decrepita ætate: aut quoniam cum eò peruentum fuerit, multiplicato cibo copiosi alimenti, velut ouorum fiunt multæ obstructiones, vt parùm supersint, quod in matre sua experimento comperisse ait, quamquam iam ægra esset, vt non satis constaret, an morbo, an sola ratione multitudinis ouorum obierit. Quod autem venit in mentem est, si modo ad hoc genus auxilij confugiendum sit, nil melius esse, quam lac melli puro mistum, aut lac cum vitellis ouorum, & saccaro, atque id sanè vltimum. Ad aliam dubitationem censeo quanto celerius incipiendum, modo calor naturalis haud minuatur. Nõ ergo adeò exquisita victus ratione vti ab initio oportebit; quali autem, & quanta, statim sum dicturus, si primum vos admonuero, quam citius illa vtemur, tanto citius corpus confirmari, solidari, atque temperari, vt in æuum durare possit. Quòd si serius incipiat, incertum est, an detrimentum acceptum ex prioribus erroribus possit emendari. Sanè si imminutum sit humidum, si factum terre-

Naturalis inclinatio ad vitam producẽdam.

Ad primã dubitationẽ Respõsio.

Ad secundam.

terrestrius, nequaquam id corrigi poterit; ergo quanto citius, tanto melius. Sed cur? & quomodo? Dico metam esse huius abstinẽtiæ constantiam virium, robur sensuum, & naturalium facultatum, velut appetendi, concoquendi, excernendi excrementa, & excrementorum non necessariorum, vt mucci, & sputi ablatio. Propter hoc esse reor, quod Hippocrates intellexit, cum dixit, quod antea etiam retulimus. Non satiari cibis, & impigrum esse ad labores. Ergo qui huiusmodi victu vtetur, non solum muccis, & sputis carebit, sed in eo, si aderunt vlcera, siccabuntur, splen detumescet, cessabunt flatus, quin etiam sanabitur omninò ex podagra. Quomodo enim fiet podagra sine vllo humore crudo? sanabitur ex malo habitu, & hydrocele: & si solum inchoauerint adhibito debito vinculo ex sarcocele, & enterocele. Quòd si bene fortunatus fuerit, etiam ex cõfirmatis eisdem morbis vinculo perpetuo adhibito arcto conualescet. Idem ex lachryma oculorum etiam antiqua, & ex incipiente cæcitate, seu ex obstructione, seu ex suffusione, & ex incipiente surditate, & resolutione non valida ab asthmate, tussi, atq; pluribus alijs morbis, qui ex sola cruditate citra acredinem fieri solent. Ob hoc rectè admodum dixit Cornarius hanc victus rationem esse verum Elysir, & aurum potabile, quod verissimum est. Non ergò vllo modo patiemur calorem naturalem minui, imò vegetiorem, puriorem, alacrioremque illum faciemus. At quod obijcis in talibus abstinentijs ciborum, & potuum consuesse homines obscuritatem oculorum pati, fieriq; tenebricosos oculos, nec consistere in ambulando: pulchram moues dubitationem, quam perpauci intelligunt. Res autem hoc modo se habet; tenebra illa, & vt homo vix consistat, non simpliciter fit ex abundantia humorum, nam omnibus plenum corpus habentibus euenirent; non ex sola virium imbecillitate; cuius rei experimentum apparuit in viro illo, qui damnatus ad mortem, cum multis diebus duabus vncijs panis, & duabus aquæ sustentaret vitam, demum pertæsus tanti supplicij ab omni aqua, & cibo abstinuit, mortuus est tredecim diebus post scilicet integris, nam quintadecima obiit, vt idem refert, nec tenebræ in oculis passus est, nec incedendo ob cerebri imbecillitatem cadere timebat, sed crurum, & genuum. Si ergo inedia hoc posset, in nullo magis, quam in illo: deficit tamen visus prope mortem. Sed aliud est deficere visum subtractis spiritibus: aliud tenebras pati, vertiginem, nutare capite,

Ad tertiã, & est de meta abstinentiæ.

Podagræ salus.

Explicatio ad obiectiones.

pite,quæ non nisi ex vaporibus fiunt. Hæc igitur symptomata semper accidunt ex humoribus, & vaporibus ab illis ascendentibus cum viribus imbecillibus. Ideo in repentina inedia, in sectione venæ abundanti, in violenta purgatione medicamenti accidere solent: adhuc enim humores supersunt, quantacumque fuerit euacuatio, & vires defecerunt. Ideo tales linquuntur animo, & vertiginem, & obscuritatem oculorum patiuntur. Et maximè in ipso motu humorum, ideo huiusmodi homines incurrunt hæc dum mouentur, non dum quiescunt; non quia cerebrum mouetur, vt vulgus putat, sed quia humores, qui sunt in corpore, & maximè in cerebro, vel in ventriculo. Ideo illud symptoma est argumentum repletionis humorum, & imbecillitatis virium. Vnde si quisquam exhibeat vinum, quandoque sanabit, quándoque conuulsione, aut comitiali morbo excitato interficere poterit hominem; quod periculum non est in syncope; nam syncopis potest aduenire citra humorum copiam: non autem hæc symptomata, quæ tu connumerasti. Cum ergò in huiusmodi victus ratione ritè peracta, humores, vt dixi, absumantur, & vires maximè interiorum membrorum confirmentur, manifestum est vtramq; ob causam huiusmodi homines ab his symptomatibus maximè vsque ad extremum vitæ esse immunes, nedum vt sint eis magis obnoxij cæteris.

Motus vertiginis vade.

Ciu. Sed vnum dicas quæso, quod mihi nunc in mentem venit. Legisse me memini apud Xenophontem, apud Persas turpe esse, spuere, aut emungere nares; quòdquè solo nasturtio, pane, & sale victitent, & aquam bibant. Hi ergò omnes cum exquisitissimo victu vterentur, debuerunt ad longam senectutem peruenire, quod non credendum est; verisimile enim esset tantam rē, qui laudes eius gentis etiam ab exiguis argumentis sumptas celebraret, non fuisse neglecturum.

Persarum victus, & ritus.

Phil. Paululū animo adfuit tum Eremita, vt videretur hoc sibi nouum, & forsan arduum quod obijceretur, nō multo post inquit.

Erem. Existimo Persas non diu vixisse, non quia non senescerent, sed quia breui senescerent. Indicio est, quod Cyrum senio confectū inducit, nec tamen eo perduxit ætatis, vt annorū numero nomen eius celebretur. Regio igitur, & victus iste militaris nō exquisitus, sed aridus incolumitatem quidem, & agilitatem, & tolerantiam laborum ferebant, vitæ tamen longitudini aduersabantur extenuato corpore; cum nihil esset pingue, non oua,

non

non lac, aut carnes, aut piſces, & præter id labores, vigiliæ, & inedia, vt ſine cibo aliquot diebus manerent; quis dubitat hæc tantum obeſſe vitæ longitudini, quantum prodeſſent valetudini. Itaque ex hoc admonemur ſimul nos non debere extenuare regimen, & cibos ſimul in qualitate, & quantitate, ſed in vtroque ſeruandam mediocritatem, ita tamen, vt in qualitate potius ad copiam, in quantitate ad tenuitatem declinemus. Animadu. ſio.

Cin. Satisfeciſti mihi, ergò quam iam vitam egeris, dicas ſi placet.

Erem. Principio cum in Eremum veni, ſcitis qua ratione peruenerim: quem ſocium habuerim: & quod iam trigeſimus octauus annus ab hinc agitur, quo me in hanc ſolitudinem contuli. Narraui me vixiſſe annis vndecim cum ſocio; inde cum alio, qui ſub initio præſentis anni obijt; inter prioris obitum, & aduentum ſecundi interceſſiſſe annos propemodum tres; ſed nec integros adeò, vt ferme coactus ſum ſæpius viuendi normam variare. Principio ergo cæpi vitam agere conſimilem ſocio priori, quòd ad eam omnia paratiora haberem, & quod vidiſſem illum iam nonageſimum annum cum hoc vitę genere exceſſiſſe. Mortuus eſt enim, cum iam centeſimum quintum annum ingreſſus eſſet; atq; hæc memoriæ tenere vos arbitror. Ille ergo cum melle, tum ouis veſci ſolitus erat; panem madefaciebat in iure teſtudinum, nonnunquam piſcium. Edebat & piſces, ſed raro, in craticula coctos cum melle, cuius & copiam magnam habebat, & ſummam gerebat curam, & olus coctum, & lentem quandoque, ſed optimè coctam. Quid plura? edebat ex omni cibo, ſed duobus tantum in eadem menſa diuerſis; namq; nec à fructibus, nec à fungis (ſed hoc tantum & primos) abſtinuit. Verum ter in die, atq; parum ſemper, & certa ratione. Aeſtate cum ambulaſſet decenter, offam panis leuiſſimi, (quem ego illi ſedulo, neque maior cura mihi erat,) cum modico mellis edebat hora ſexta, cum ſex æquales horæ fermè interceſſiſſent, oui vitellum primum, inde ferculum cum exiguo pane, & piſcem in craticula aſſum cum melle ſumebat. Poſt Solis occaſum malum, aut pyrum coctum, & offam panis. At ego piſces cum melle edere ſolebã, & olera cum oleo cocta; piſces autem & ego in craticula, ſed bis in die tantum cum pranderet leuius, cum cænaret opiparè. Hyeme autem ſecunda hora diei cum ſatis, & pro viribus ſe exercuiſſet per mediam, neq; enim ſurgebat vnquam niſi peracta prima hora Victus ratio.

diei ætate ob noctium breuitatem, hyeme autem ob frigus, offam sumebat, ac vitellum oui; hora septima panem ex iure, & testudinis iecur, atq; carnis illius vnciam, vsq; ad binas vncias, & hæc cum melle, (credo mel suauitatis, ac salubritatis causa potius in vsu illi fuisse, quam alimenti) comedebat. Vesperi autem tertia noctis hora panem leuem cum pyro cocto, aut amygdalis contusis, vel auellanis, aut cotonei cocti parte, vel mespilis, aut etiam castanea assata cum pipere. At ego, vt dixi, cœnabam meo more lautè eadem hora. Post tres annos, & quoad vixit ille, esum olerum minui, tum cibi, ac potus quantitatem, vt nunquam trigesimam sextam vnciam excederet, rarò æquaret. ratione inita tamen, vt dixi, temporum, melliscque parum, auellanarum contusarum plurimum cum piscibus, aut amygdalarum deuorabam; ter in hebdomada ouum duratum edebam ad vires, & habitum confirmandum.

Testudo multum ab authore probata.

Ouum duratum ad vires confirmãdas.

Cum obiisset, sepelissemq; illum auxilio socij illius, qui solus ad quartum lapidem iuxta sacellum habitabat, cum non potuissem persuadere tunc, vt mecum maneret, solus remansi. Iamque septuagesimo anno propior, cæpi ouum non durum, sed nec molle, nec album, sed solum luteum in cœna primo assumere, quem morem singulis diebus seruo; præterquam sexta feria, cuius loco, vel oua testudinis, vel piscis frixi caudam cum melle edere soleo. Tum verò etiam cibum ad vncias triginta duas cum potu ipso computando contraxi.

Oua testudinis cum melle.

Leniui labores lentius agendo, quoniam nemo erat, qui me iuuaret; tametsi enim decrepita ætate ille esset, tamen leuia quædam peragebat; velut parare prandium, ac cœnam pro vtroque, maximè æstate, vt laboris licet plus esset; minus tamen temporis in eo absumerem, atque ob id mitior videbatur.

Et certè res iam in angusto constituta erat, nisi spes vna consolata fuisset; nam cum vrgerem Eremitam, vt dixi, qui prope nos commorabatur, Ambrosium Varadeum Mediolanensem, vt ad me commigraret, nec possem persuadere ab initio, tandem multis precibus motus peracto triennio ad me accessit. Ergò eo tempore adiutus illius opera rursus pauciores ouis vsus sum. ter enim aut quater vitellum oui in septem dierum circuitu sumebam; ficuum, & fructuum, vel etiam olerum aliquanto plus.

Octuagesimo anno visus sum mihi manifestè debilior, quam antea,

antea, nec sensim ad hoc deueni, sed quasi repente, seu quod natura ita ferat, seu ob diuinum quendam mihi præfinitum cursum, atque circuitum. Rursus igitur ad oua, eaque sorbilia, vt dicunt deueni. Nam cum septem esse genera cibi boni, atque perfecti intelligerem, Carnes, Oua, Panem, Pisces sanguineos maximè qui respirant, Vuas passas, Lac, & Vinum; at quorundam ex his copia non erat, scilicet lactis, piscium huiusmodi, vini, & vuæ passæ, carnem autem mihi ex instituto præscripsissem, res ad panē, & oua deuenit. At pane solo vesci difficillimum fuisset, propterea in ouorum vsu solo post panem præsidium collocaui. Septem genera cibi boni.

Ciu. Video causam, sed demiror, quod videaris parum probare genus piscium, atque in hoc dissentis ab vniuersa Medicorum Schola, cum Hippocrates, & Galenus probent pisces petrosos. Sed quos pisces sanguineos vocas, (hoc enim nouum nomenclaturæ genus est) & exinde qui respirant, quos tu probas, cum perpauci edendo vsui sint.

Erem. Dico pisces sanguineos, vt Thynnum, ex quo fieri solent Cybia, Melandria, Apolecta, & quod vocant Thynninam. Sed ex Tursione (is enim respirat) fit caro optima, & recens, & salita. Sed & Delphini iuniores edendo vsui sunt, & in vniuersum hi carnem habent, & optimam, si sint iuuenculi: petrosi autem pisces pro ægris magis sunt, quam vt robur hominis sani sustentare possint. Pisces sanguinei qui.

Ciu. At videor legisse apud Rondelletium Thynnum esse sardam.

Erem. Non sibi vir ille satisfacit, cum modo è cetaceo genere, modò è sardæ illum constituat. constat circa voculas intentum nec memoria, nec iudicio valuisse quantum in hac causa necessarium fuisset.

Ciu. Quem ergò sequeris?

Erem. Bellonium.

Ciu. At eum accusat furti Rondelletius.

Erem. At bellè congruit, cum nihil simile illi sentiat Bellonius, & antea scribat, & ostendat se non solum pisces vidisse, sed piscium singulorum viscera, quæ ignorasse Rondelletium haud obscurum est. Itaque videtur, vt dici solet, pignus à custode exigere.

Ciu. Ergò putas nec Cyprinos sufficere ad alendum.

Erem. Vix Sturionem, imo quid vix? omninò non sufficere dicam.

Ciu. Sed ſi libet, ſequere ordinem.

Erem. Poſt ingreſſo nonageſimum annum, cum fermè nihil eſſet, quod ſuperadderem, redacto pondere ad viginti quatuor vncias, & diuiſo cibo, ac potu iuxta normam Hieronymi Dugnani Mediolanenſis prioris Eremitæ vitam duxi ad hanc diem vſque conſtantem, vt videtis. Sed deſtitutus ſum duobus potioribus præſidijs, vuis paſsis, ac vino, quod tantum ſenibus conuenire puto, quantum lac infantibus. Sed etiam, ſi placet, ſumamus cibum primum ea hora, qua ſecundum ſumere antea ſolitus eram.

Ciu. Diſplicet nobis vehementer, ò vir egregie, nos tibi tot diebus fuiſſe impedimento, nè poſſes tuum inſtitutum ordinem, tuamque antiquam conſuetudinem in ætate adeò inclinata ſeruare.

Erem. Sed nihil putatis referre, vt reficiamur diuinis cibis? nam Deum ne putatis eſſe, aut bibere?

Ciu. Nequaquam.

Erem. An creditis hoc ſciuiſſe antiquos, ac credidiſſe?

Ciu. Et illud.

Erem. Et eum tamen ſempiternam vitam agere?

Ciu. Et id quidem.

Erem. At ne vos prætereat Antiquorum illud de Ambroſia, & Nectare, vt cecinit poeta.

Iuppiter Ambroſia Satur eſt, & Nectare viuit.

Ciu. Quid pro Nectare, & Ambroſia ducebant?

Erem. Ambroſiam certum eſt cibum eſſe, vt ibi.

Ambroſiaſque dapes.

Sed de Nectare alij pro cibo, ali pro potu ſumpſerunt, exiſtimantes abſurdum eſse duplici vti cibo; ſed vtcunque ſit Ambroſia eſt cognitio Dei, Nectar autem voluptas ex cognitione: his duobus enim probi homines reficiuntur, & inſtaurantur: quapropter & dulce mihi admodum eſt, atque iucundum hos vobiſcum ſerere ſermones; & vt dici ſolet θεῖον ἐξαίρω λόγον. Diuinum excipio ſermonem. Hoc licet ad alia ſoleat deflecti, Plato tamen à poeta accepit, quem in hunc ſenſum protuliſſe exiſtimandum eſt; quod diuini ſermones animam ab affectibus corporis ſeiunctam ſaturare ſoleant.

Ciu. Sed tamen cum hac ſaturitate homo niſi alatur, viuere diù non poteſt; differt ſanè vitam aliquandiu.

Erem. Rectè inquam: nam qui diuina non curant, cibo indigent, nec

nec alia re ſuſtinentur. Celeſtes mentes cibo prorſus, atque potu non indigent: probi homines, & ſancti ita aluntur diuinis ſermonibus, ac bene inſtitutis, vt plurimum ab his iuuentur, non tamen prorſus ſuſtententur. Quinimò id ego egi, vt non debilior factus ſim, ſed robuſtior; tandem enim ſummã recipio potus, atque cibi, quam ante, eamque duabus partitam tãtum vicibus, quam conficio, cum antea tam in tres diuidere cogerer, vt eam concoquerem. Sed eia parate prandium.

Phil. Itaque cœpimus parare prandium, diuiſimuſque Tincam ſatis grandem, abſciſſo prius capite, vt illam frigeremus; effluxit autem multum ſanguinis, exiſtimo fuiſſe maſculum piſcem; aderat & Eremita ſpectator.

Ciu. Tum Ciuis. Ecce vides, quod piſcis hic ſanguinis multum habet, hic ergo ex his, quos tu laudas, erit?

Erem. Par eſt, vides habere iecur, vbi iecur, ibi ſanguis. Sed etiam perfectus, nam in ſiniſtrum cordis ventriculum piſcibus, qui nõ reſpirant, vena inſeritur, vbi ergo hæc duo membra, ibi ſanguis; ſicut vbi pulmo, ibi reſpiratio: Meminit autem Bellonius in anatomia Thynni in corde tres incumbere quaſi filtulas, quarum duæ magnitudine ſunt iuglandis, pulmonis inſtar, tertia verò inquit, his adhæret tracheæ arteriæ munere fungens. Idem Delphino cum aſcribat pulmones, & Turſioni, patet Turſionem non reſpirare. Quid ergò dicis, idem erit piſcis ſanguineus & qui reſpirat? aut omnes piſces ſanguineos eſſe dicemus, quoniam nullus piſcis iecore caret? Intelligo per ſanguineum piſcem, qui multo, rubroque ſanguine abundat, velut, vt dixi, eſt Thynnus, eũ vero qui reſpirat, qualis eſt Delphinus, & Turſio, carnes habere palam eſt; vnde in delitijs eſt apud Principes, & opulentos, vt exornent menſas non tam ſumptuoſo, quam vtili cibo. Reliquorum piſcium, cum non ſit verus ſanguis nec eſt vera caro. caro enim non niſi ex ſanguine fit. At quod nutrit ex animali proprie caro eſt, reliqua vt ſunt proxima eius naturæ: nullus ergo piſcis, qui non reſpirat, bene nutrit; optimi tamen ſunt natura magni, ſed iuuenculi, ſcilicet Thynnus, & interfluuiales Sturio, & qui ſunt eius generis; poſt Salmo, & Trotta, & Cyprinus: reliqui multum abſunt à vero cibo. Quamquam in ſalubritate prẽſtent petroſi, & ex aquis dulcibus Percæ, Lucij, & quicumque in aquis puris viuunt ſquammoſi, aut valdè molli carne, velut Bottæ, ſeu Capitones, & Larij lacus.

Quid intelligat per ſanguineum piſcem.

Nullus piſcis qui non reſpirat, bene nutrit.

Phil. His

Phil. His dictis, discubuimus, tum multi sermones habiti sunt inter nos, quos recensere superfluum esset; dum verò vitam hanc, seu ex corde, seù, vt Eremitæ placeret, Ciuis laudaret, Eremita respondit.

Erem. Certè non possum pœnitere mei instituti, & si aliud omnino non esset, quam quod tria illa commoda quæ vidi in meis duobus sociis; scilicet, vitam perfectam ducere, non mori nisi semel, tuncque sine dolore, vt contra pessimum est, & infelicissimum mori acerba morte, sæpius ante mortem mori; & dum viuitur, perfecta vita non frui.

Tria cõmoda vitæ solitariæ.

Phil. His dictis, mensam sustulimus, accensoque igne inquit Ciues.

Ciu. Postquam mentionem fecisti sociorum, & quod leni morte absumpti sunt commemorasti, rogo, vt illorum exitum nobis, si placet, recites; forsan etiam non obiter hæc ipsa sum acceptus.

Erem. Libenter; atque id ex medicorum instituto, qui iubent nos à cibo quiescere debere. Est autem recitatio huiusmodi historiæ, quies quædam. Hieronymus Dugnanus annum agens, vt dixi, centesimum quintum mense Aprilis, vespere quodam doluit paululum in ventriculo, & videbatur præter morem, quamquam iam parum videret, audiret, ambularetque, vix etiam consisteret, paulo languidior facie (aderat autem etiam Varadeus) vt in lectum libenter comederet; quieuit adhibitis linteis tepidis, visusque est paululum obripuisse. Postera die melius se habere existimauit, non tamen potuit sumere, nisi vitellum oui; vires manifestè deficiebant. Tertia die concidit pulsus, pedes erant frigidi, nihil sumpsit, de discessu suo nos admonuit. Rogauit Varadeum, vt lyra caneret carmen illud.

Mors Hieronymi Dugnani.

Rex Cælitum est pastor meus
Nihil boni deerit mihi
Uberrimis in pascuis
Amœna propter Flumina
Me Spiritus Sanctissimi
Aura beata recreat.
Dulcique mentem pabulo
Nutrit suæ scientiæ
Miserrimus animus meus
Dum longius abit à Deo.
Errauerat procul à via,

Que

Quæ ducit ad cęleſtium
Oras beatas; At Deus
Meę miſertus miſeriæ
Benignitate maximæ
Quę ſuit illum vltrò, & ſui
Reduxit ad caulas gregis,
Si ſola ſolus per loca
Inermis eam vbi plurimæ
Imago mortis territat,
Interritus perrexero
Cuſtode ſecurus Deo.
Me virga paſtor optime
Coercet errantem tua;

Reliqua non abſoluit, nam veſpera erat, & ſenex alto ſomno correptus eſt. Nil mirum, ſæpius enim audieram canentem, veniebat enim ad Dugnanum tanquam magiſtrum diuinorum præceptorum, & inſtituti auctorem, atque hortatorem.

Dormiuit vero à ſecunda noctis hora vſque quartam quietus, inde iterum à quarta experrectus guſtauit potum, atque ſtatim in ſomnum decidit, dormiuitque ad ſextam vſque horam. Poſt rurſus experrectus, non delapſus eſt in ſomnum, ſed interdum loquebatur, interdum quieſcebat vſque ad aurorā, cum tamen aliquantiſper antea ſe iactaſſet. Tum verò cecinit carmen illud.

Quicunque verè ſpes ſuas locat in Deo
Immobilis ſemper manet
Sionis inſtar: nulla quem ſuo poteſt
Mutare vis vnquam loco.

Et reliqua, quæ ſequuntur, accinebat lyra, & voce illo ſuadente Varadeus, vt poſſes illud dicere Virgilianum, quod de Orpheo ſcripſit

Threicius quondam vates fide creditur canora
Mouiſſe ſenſus acrium ferarum,
Atque amnes tenuiſſe vagos.

Adeò ſuauiter, & præter ſolitum etiam morem, quamquam ſemper eſſet admirabilis, vt crediderim aliunde è cælo ſuppetias aduenisſe. Incredibilis enim fuit eius muſicæ affectus, vt animos, & ſenis, ita enim ferebat, & mecum moueret: ſeù diuina aliqua illapſa ſuauitate, ſeù miniſter aliquis cælitum

hanc

hanc insusurraret auribus armoniam nostris obtegente rem humana arte; seu quòd ob casum morientis amici mollitis animis sonus ille per se iucundissimus adhuc dulcedinem, & suauitatem maiorem infunderet, atque alliceret ad voluptatem. Post experrectus melius loquebatur, adeo, vt diceres, non ægrotare; nam & facies splendidior, sed cibum omnem prorsus, ac potum renuebat. Sermones autem graues, atque iucundos de animi immortalitate ferebat interim, quos à me postremò audietis. Perseuerauit autem vsque ad secundam noctis horam, rursusq; solus carmen illud cecinit: erat enim Musicæ non mediocriter peritus.

Quousque Domine linquar in tantis malis?
O culmen, & salus mea.
Quousque pergis esse non memor mei?
Dic oro quam diù dies
Noctesque lachrymis madebo, & anxius
Deliberando distrahar;
Quousque supplicem tua clementia
Crudelis hostis opprimet.

Atque in hæc verba expirauit.

Antea verò interrogauimus, an dolorem aliquem sentiret, negauit, sed solum quandam leuem defectionem spiritus. Et bis ter titillationem quandam, quæ ex corde ad imos pedes promanaret; tum tamen obtenebrari oculos, omnique sensu destitui; existimasse autem esse mortem; sed postquam resipisset, non alienam esse mortem ab huiusmodi sensu.

Cin. Sed, si placet, alterius socij etiam interitum explicato.

Erem. Qui libet tam casus cognoscere nostros: sed dicam tamen; verùm non possum sine lachrymis, & quòd recens sit vulnus, & ipse diutius mecum fuerit, & longè iunior me mortuus fuerit, octuagesimum quartum enim duntaxat agebat annum; me autem reliquit longè seniorem, quam Hieron. Dugnanum; & quantum Dugnano officij præstiteram, tantum, imo longè plus hic mihi præstiterat. Hoc mense Aprilis rursus die secunda capit languere febricula quadam, quam primo vterque nostrum contemnebat: sed post septem dies ità ingrauescere visa est, vt decumbere cogeretur. Ego qui mihi ipsi non sufficiebam, postquam neque decumbentem releuari vidi, post tertiam

Mors socij enarratur.

etiam diem ad sacellum quoddam longe tribus M. P. sed via difficillima perrexi, quod fortè fortuna non multo ante ibi inuenissem Sacerdotem quendam Thomam Comitem, qui illuc venisset: non tamen adhuc deliberauerat, an esset permansurus. Inueni itaque hunc non solum ibi etiam esse, sed domunculam è lignis, stramentisque, ac luto sibi exædificasse: quo non parum lætatus sum. Nam non dubitabam roganti, vt simili in calamitate vtrique nostrum adesset non defuturum. Quod & euenit. Huius aduentu adeò recreatus est, vt quartam post diem surrexerit; vnde etiam ille, die sequenti abijt, quamquam nos illum multum, vt cum etiam illum inuenissem, rogaremus, vt nobiscum vnà manere vellet, & communi vti domicilio. Sed non est assensus is, causam ignoro, cum sit tamen admodum bonus, ac pius. Duos post dies ità concidit, vt palam esset moriturum omnino, & breui. Itaque rursus ad Thomam vado; venit illico; nihil edebat, bibebat solum, videbatur tabe laborare. Tum primum secutus illos pulchros de beatitudine animi post mortem sermones, quos audituri estis, si vacauerit, imò si supererit tempus [conscripsi enim, tametsi non adeò eleganter, quis enim posset?] idque effecit, vt iam non miseremur, sed potius inuideremus: nam tanta dulcedine, atq; hilaritate nos affecit, vt nil aliud desideraremus, quam illi iungi, & eandem subire sortem; lætabamur de sua fœlicitate, & spem de nobis ipsis concipiebamus: subijtq; in mentem Homericum illud.

Tum Ioue nata Helena hic meditata est pharmaca potu;
Ac subitò iniecit medicamina rara lyæo
Vnde bibunt proceres Nepenthes inclyta succo
Gramina, quæ irarum, siue omnis cladis, & omnis
Vsque mali herbarum ducunt obliuia potu.
Hęc si mixta scyphis aliquis præsumpserit, ille
Luce illa nunquam lachrymas effundet obortas;
Non si vel genitor, materq; Acherontis arenas
Rapta petat Stygias, non si natumque fratremq;
Coram disiectos ferro, atque in sanguine mixtos
Hoste oculis videat claris.

Ciu. At dic quæso nouisti inè quid sit illa Nepenthe; aueo enim scire tantum arcanum.

Erem. Helenium est, vt docet Plinius, nec decipitur. Firmum enim est argumentum, cum Helenium ab Helena postea sit appellatum. Sed puto Aegyptiam radicem esse oportere, & succum in vino administrari. Sed redeo ad propositum; cum hæc dixisset, oculis remissis, non, vt alij solent, sublatis, quod initium fuit nô doluisse, sed velut in somnum leuiter delapsus expirauit.

Nepente quid sit.

Ciu. Hui hæc mors vitæ præferẽda est: hæc vita Gazæ regũ Orietalium. Sed videris non iure, imò immeritò conqueri, cum adeò fœliciter obierit, & etiam plenus annis: tanquam enim immaturum videris deflere, qui obierit annos natus octuaginta quatuor: vbi nam gentium tandiu viuunt? vixisse Dugnanum centum quinque annis pro miraculo habendum est.

Si quis moderate viuat centesimum annum excedet.

Erem. Hei mihi quòd vt video operam, & oleum, vt dici solet, perdo. Nonnè prædixi tibi, si quis moderatè viuat, ni natura infelix sit, centesimum annum excessurum? Dicis vbinam tandiu viuunt? Nonnè in Goa Vrbe Indiæ, & Emporio Lusitanorum, vt refert Ludouicus Frois duo erant senes, quorum vnus centesimum, & vigesimum, alter centesimum & trigesimum sextum ingressus annum ambo sacro fonte lauati id ætatis, saltabatq; senior?

Phil. Hæc cum diceret, vidit Maurocenum obmurmurare in aurem mihi, & ait.

Erem. Scio quid dicitis, nil refert, cum morte illum saltasse: est enim prouerbium notum. At quod ad rem refert, non præterierim illum causas attulisse scientiæ, quod tantus natu esset: Mutationes scilicet regni: nam primũ fuit sub Canarenis Idololatris, inde Aphris Maumethanis; tum vero sub Lusitanis Christianis. Sed iam ad primum institutum redeundum est.

Ego medicus non sum, dicerem tamen vnicuiq; suam esse vitam moderatam quantitatis ratione, quam experimentum post rationem ipsam comprobaret. Porro de qualitate, & numero etiam dictum est. Sed tamen illud de qualitate addam, placere maximè cibos, qui oleum continent: nam si in his peccetur non adeo putredini sunt obnoxii.

De præparatione autem agendum est. Cruda si concoquantur omnium optima sunt, sicut exusta pessima esse reor: nam qualitate aliena sunt à natura rei, quantitate etiam ab eadem plurimum distant. Comparantur dissoluta aqua exustis, sed nõ sunt adeo praua, quoniã humidiora sunt; & minus à concoctione aliena; vt vero magis peccatur in sicca coctione, scilicet eorũ,

Ciborum præparatio.

quæ

quæ aſsãtur ſuper prunas, vel in veru torrentur, aut in ſartagine frigũtur, ita optima ſunt, quæ moderatè, & perfuſa, ſucculẽtaq; aſsantur, plus enim nutriunt, & melius, & ſolidius præbent alimentum, tum incorruptius. Oportet ergò multo igne & madefacta iuxta naturam eius, quod coquitur, celeriter coqui; ita tamen, vt perfectè coquantur; & vt in elixis nimis coquendo minus peccatur, in aſſati, contraria ratione minus coquendo.

Nota de iurulentis.

At iurulenta optimè nutriunt, ſed ſi multum quis edat ex illis, peſſimè afficiunt hominem ſubuertendo ventriculum, appetitum deijciendo, iecur debilitando, humoreſq; corrumpendo.

Quatuor cibi genera noxia,

Quatuor enim ſunt, quæ maximè noxia cibi alieni à natura humana; velut primũ Panis ex loba, deterior ex furfure, deterrimus ex quibuſdam medullis arborum, quæ ventriculo prorſus ſunt inimica: ſecundum, cibi nimis pingues inimici iecori, qui diſſoluunt robur iecoris, & præter modum replent, & generant obſtructiones, & abſceſſus: tertium, ſunt cibi putridi morbos peſtilentes generantes, & hydropes: quartum, ſunt cibi, qui à proprietate nocent alicui membro, vt Pagurus in generando lapidem renum, & veſicæ.

Pagurus à proprietate generat lapidem.

Hæc igitur de qualitate, & præparatione ciborũ dicta ſint, ſciendo, quod frixa in oleo plerumq; ſunt mala propter cauſam dictam, quia oleum aduritur. Si tamen addatur tantumdem aquæ, vel dimidium ſaltem ſunt iucunda guſtui, & extra omne periculum, cum oleum præſente aqua non poſſit torreri, benè poteſt accendi; nunc ergò de ordine dicamus.

Sunt enim quidam, qui ordinem primum neceſſarium, eſſe ducunt, & alij non; qui ducunt eſſe neceſſarium à liquidis iubent inchoandum: alij à ſubducentibus aluum; alij ab optimi alimenti cibis. Incipiendum eſſe ab aluum ſubducentibus abſurdiſſimum dico, quinimò nil melius eſt ſenibus, quàm vti his, quæ ventriculum roborant, velut edentibus carnes ventriculi gallinarum parte, qua carnei ſunt, non cartilaginei; talia autem aluum non ſubducere ſolent. Deinde cauſa, qua exhibent hæc aluum mollientia ante cibum, eſt, quoniam imaginantur pylorum eſſe in imo ventriculi: at non eſt, ſed multo altius: perturbabunt ergò coctionem, nec exire poterunt; vnde nocebunt ſine fructu villo. Accedit quòd cauſa, quæ illos mouet eſt, quoniam exiſtimant omnia excrementa, in ſenibus debere fluere, exemplo ſumpto ab vrina, & mucco, atq; alijs huiuſmodi. Sed quarè non ſuadent eadem ratione, vt etiam ſenes

Refellitur communis opinio circa comedendi ordinem.

magis vtantur venere, quam iuuenes, siquidem, & semen excrementum est. At dicunt vtile hoc est excrementum? At ego illis respondeo, etiam fæces esse vtilissimas, quando quidem ab eis fermè totũ alimentum corpori extrahatur. Quarè senes, qui ad longissimã ætatem perueniunt, omnes habent astrictã aluum; nec est idẽ periculum in retentione fæcum quod est in retẽtione aliorũ excrementorũ ob latitudinẽ viæ, & musculos ventris, & auxilia prompta in hac causa; nec in aliorum retentione vlla vtilitas, nedum tanta, quanta est in fæcibus. Præterea quæ subducunt aluum nullo modo cum cibo exhiberi debent, vt nec malua, nec beta, nec huiusmodi, quæ habent acrem succum, sed admitti possunt solum, quæ purè leniunt, vt oleum, & ficus, & vuæ passæ: non igitur administrari debent hæc, nec ante cibum, nec post. De liquidis autem, si per liquida intelligimus potus, & sorbitiones tenues, non benè nutrient ventriculum, qui indiget solido nutrimento, cum sit membrum, & membrum durioris substantiæ, quam caro, igitur non conuenient liquida; nec etiam adhærebunt bene illi, quare multum lædent eo destituto proprio alimento; excitabunt fluctuationes, corrumpentque coctionem. Igitur à mediocriter solidis, ac quasi glutinosis, atque boni alimenti incipere oportet.

Subducentia aluum non exhiberi debent cum cibis, sed quæ pure leniunt.

Initium mensæ quale.

Pari ratione neque à detergentibus incipiendum est: qua enim hora nutriri ventriculus debet, vtile non est, vt detergatur: contraria enim sunt detergere, & nutrire: siquidem nutritio fit adhærendo, deterſio autem separat. Sed si pituita adsit non mala, temperanda est bono succo: his ergo conuenit caro assata, aut vitellum oui satis concretum, vbi primum concreuerit, quod pluribus fractis ouis cognosci potest. At si praua sit materia, non tamen abundè mala, sufficiat adhibuisse, quę incidunt, minimè quæ detergunt. At si deterior etiam sit detergentibus medicamentis absque cibis vtemur, maximè oxymelle, in quo radicula, vel cappares infusi per diem integram fuerint. Sed si abundauerit materia, & praua fuerit, vomitu est ejcienda. Si non licet, purganda iure galli, vel etiam cum caulibus, & betis pluribus. Stultum est ergo medicamenta permiscere cibis; vt curas conuiuijs, ac somno.

Oximel cũ radicula vel cappa-ribus.

Cin. Si quidem si aliter facere possumus.

Erem. Rarò non possumus: sed secundum medicinam sine medicina viuere debemus. Hoc illi significauit Genius, cui prædictum fuit, in longam posse peruenire senectam, si enula, & rha-

pontico

pontico vteretur. Enula siquidem, vt lætus viueret, & sine curis: dicitur enim pro hoc esse veneficium. Rhapontico autem, quia neque purgando, neque perturbando, sed adstringendo corpus sanat à plerisque morbis longis.

Civ. At vt video Acetaria non conuenient ab initio cibi; illa enim detergunt, cum sale, & aceto constent? Tum vero quia alimentum herbarum, ex quibus plerumque constant ventriculo inutile est, nè dixerim inimicum.

Acetaria an conueniãt ab initio cibi.

Erem. Extra crepidam nunc sutor: sed dicam quid eo in libro legerim. Certe acetaria non eo tempore conueniunt, saltem benè se habentibus. Neque enim cibi diuersarum rationum simul conuenire possunt; si enim vt distincti exhibeantur necesse est vnum alium antecedere: si ergò in benè valentibus, & maximè in firma ætate conueniunt cibi boni; acetaria autem inter cibos medicos numerari debent, palam est, quod non conueniunt; sed nequè vt misceantur; nihil enim tetriùs; sed si modò in vsu esse possunt, nullum video commodum, quàm ad temperandum bonum cibum, qui seù sit tenax aceto dissecatur, seù nimis humidus, sale siccatur, seù nimium adhærens oleum separat ipsum: seù feruidus, lactuca mitigat; sed si imbecillis sit ventriculus, aut iecur, aut venæ sint obstructæ seris, & cichorea, & eiusmodi iuuant; vnde melius in vsum hæc venire crediderim, quam lactucam; nam si pro alimento lactuca carni, ouo, & piscibus, imo neque caseo est comparanda (in sanis dico) si pro medicamento, nullas habet vires, nisi somnum conciliandi, & feruorem temperandi: at tantùm abest, vt iuuet ventriculum, aut iecur, vt etiam membra illa plurimum offendat; somnum autem non sufficienter conciliat; feruorem melius comprimit endiuia vtilis iecori, & ventriculo; quarè nihil illi præter ganeam adesse sentio; cum enim æstate capitata fuerit, & magna, & candida iucundior est cichorio multò non solùm, sed etiam quauis alia herba, quæ pro acetario sumitur. Multos tamen, ait auctor ille ob hoc solum olus decidere in febres per æstatem tertianas, atq; ardentes, & si abunde frigidum sit; nam plurimum serosum alimentum generat, atque crudum. Nec video si cucumeres, ac pepones adeò Galenus damnat, cur cum lactuca multum illis assimiletur adeo, vt etiã cum adoleuerit, lac emittat, non pessima sit. Audet ergò dicere ille author, & rationes satis efficaces adducit ob lactucam plurimos mori febre, ac fluxibus

De lactuca quid sentiat.

pesti-

Ob lactucã plurimimo riuntur febre, ac fluxibus pestilentibus.

pestilentibus, quod ego credo, alijs opinionem suam relinquo; nolim tamen tanto periculo, & ob tam exiguam voluptatem id experiri. Sed Galenus coctam edebat, quo in casu non damno eam, nam, & longè facilius subigitur, & ferosam partem ammittit, & vim veneni; temperatiorque euadit. Quòd si cucurbitas sine periculo, & noxa sic edere licet, omnino autem tutò cucumeres eo modo præparatos; imò persæpè vtilissimè, sunt enim medicamentum sanguinem purgans, bilis feruorem sedans, & æstus æstatis, & vrinas, atque sudores prolicit. Quòd & si pepones sic edere liceret, dicerem esse vtilissimi medicamenti loco; sed gratiam omnem amittunt, vt vix quisque sustineat edere: nam præter id etiam grauem quendam odorem concipiunt; & vt vno verbo dicam corrumpuntur. Quarè lactucis crudis nullum inuenio locum in cibo, neq; ante, neque post; nec mirum est ob id, si, vt apud Poetam illum, locum suum non potuerit retinere; nam cum & ante, & post cibum noxia, antiqui vero etiam post cibum deteriorem experti essent; ad initium cœnæ transtulerunt; vt somni beneficio, & obruta alijs cibis minus offenderet; atque delitijs hoc modo satisfacerent. Verum crudæ nullum locum opportuniorem inuenio, quam vt pauca media quasi cœna, non in prandio deuoretur; emolumento sanè nullo, damno etiam non graui, si continuus non fit vsus.

Cucumeres cocti vtilissimi,

Phil. At hanc regulam de omnibus oleribus datam esse credide-

Vuæ laus, qualitas, & vues.

rim radicibus, surculis, fructibus horarijs.

Erem. De fructibus non dicam, forsan verum est, si vuas excipias, & etiam Ficus, vuæ enim maximè, si vel in vite sub ardenti Sole sine foliis, aut suspensæ siccatæ modicè fuerint, adeo bene nutriunt, vt multos viderim reualuisse hoc solo auxilio ex febribus quartanis, erraticisque, alios ex fluxibus, & malo habitu, conualescentes restauratos; sanos pingues euasisse. Quæ cum in ficubus non viderim, nescio quomodo illos vuis præponam, quamquam non gignant adeo flatus; sed neque adeo bene nutriunt; neque ciunt vrinas, & aluum, vt faciunt vuæ; quæ dum mali humores adsunt, medicamenti loco purgant; dum esse desierunt, sistunt: tam auidè natura earum succum trahit, nisi immodice deuorentur.

De radicibus facile assentiar, sed de oleribus minimè; nã & crudæ, & ante cibũ magna cum vtilitate, ferme semper mentha: persæpe vero absinthium, ruta, fæniculus, carduus, medulla radicis

dicis iuxta,germē agreſtis cardui,meliſſophillon,germina ſeris tenera,herbaq; ipſa pullulans verno tempore,noua illa herba, (quā draconem vocant) folio rorismarini, ſed teneriore abunde acris,& bene odorata. Saluia,quæ forſan athanaſia vera eſt, & cerefolium amicum ventriculo, quæ omnes coqui recuſant, nihilo meliores effectæ,ſed inutiles ſolum,& ingratæ cum oleo, & ſale;& ſi placet pipere modico,vel melle; quæ ſic magnos, & inueteratos morbos diſcutere poſſunt. Sed quid proderit, vt valetudini aliorum tam diligenter conſulamus, ſi noſtræ obliuiſcamur, quare melius fuerit (ſi placet) cœnæ parandæ operam dare.

Phil. Sequenti die ſermonem cæptum continuare ſtatim adorſus eſt,hac occaſione, quod bene concoxiſſet immixta cibis mentha ſicca,ſed & inquit.

Erem. Maiora quædam, & incredibilia pene audiui; quod quidam primum edentes piloſellam præcipue maiorem intra quadraginta dies ex Enterocele ſanati ſint. Alios meminit Matthiolus Senenſis ſumptis hippogloſſi,& gladioli radicibus, folijs bettonicæ,tipheq; lanugine pondere drachmæ ex ſingulis cum duobus ouorum luteis frixis ſimul in quadraginta diebus curatos. Sed cum mentha, & cerefolium, gingidiumue, aut abſinthium ventriculo non parum proſint, & quæcumque odorata, & mediocriter calida,ac aſtringentia non parum ventriculo conferant, vt par eſt, tum præcipue cortex nucis myriſticæ forſan, & garyophyllum in admodum refrigerato, de his, quæ enterocelen iuuare poſſunt ſatis dubitauerim: velut etiam de Hippari,qua ego vtor ad detergenda vaſa,nam intus ſumpta mirum in modum aſtringit; ſed ſi poteſt tantum aſtringere,quod peritonei partem adeo latam, vt pugnus ingredi poſſit adeo diſtantem,vt qua via ad eum locum permeare poſſit vix medicamenti non inueniam,adeo duram,& leuem,vt ex membrana conſtet, quomodo non ipſum iecur, ipſiuſq; venas propiores, arctiores,molliores adeo aſtringet, vt magnum malum accerſat? hoc eſt quod ſemper in huiuſmodi me torſit, nec quid dicam habeo,audire mallem:à medico, cum nullus in hanc ſolitudinem venerit,intelligere non potui,ſiquid habetis, rogo,dicite:multum enim erit ex vſu propoſito noſtro: ſi enim conferre poſſunt, multa licebit hac via aggredi: ſi non poſſunt, ad quid coinquinare menſas huiuſmodi ſordibus, & damnum ſimul afferre nobis ipſis?

Ciu. Au-

Liu. Audiui mira hæc, sed nescio an vera sint: nam si vera essent, tandem multa huiusmodi in vsum veniissent, at nihil horum cōperio, sed nugas meras plerumque. Quod tamen aliquando audiui à Medico, qui profitebatur, nescio modò quantum præstaret, nam & hoc muneris etiam apud nos in gratiam sæpè tribuitur; Dicebat is, dum loqueremur de Cantharidibus, quæ neque ventriculum, neq; iecur, nec renes vlcerant, & tamen vesicam lædunt, fieri hoc posse multis modis. Primum quòd reliqua membra maiorem habeant vim expellendi, quàm vesica, & ideo cum non retineantur, non offendunt. Secundo quod posset referri in quandam similitudinem substantiæ, ob quam alia ab alijs nata sunt, aut pati, aut non pati, præcipue dura, quę non patiuntur, stupida, quæ non sentiunt. Aut quod talia medicamenta non efficiant operationes suas, quia vires eorum quasi sepultæ sint, nec ad opus deduci queant, nisi multis modis subacta à prioribus membris, in quæ parum, aut nihil agunt; atque ita delata ad illud membrum vires illas tum explicant mirificas. Hæc sunt, quæ ille dicebat.

De Cantharidibus.

Irem. At mihi nulla harum rationum satisfacere videtur: sed tamen, siqua est probabilior, vltimam esse puto. Nam cum dicis, quod membra valida celeriter expellunt, fateor noxium, sed vtile nequaquam; ego autem de vtili, non de noxio laborabam. Proprietatem illam aut non esse, aut inuentu haud facilē esse contenderim. Sed cur tertiam non probem postmodum responsionem id est in causa, quoniam explicatis viribus illis, cur medicamentum illud astringit Didymum, & non rectum intestinum, aut vesicam. Quare arbitror hæc vera non esse, & ob id neque inuentam huius causam. Sed si modo vera aliqua est, composita est ex pluribus, præcipueq; hac vltima dicta; deinde alijs velut quod natura membri læsi, & natura vniuersalis, seù anima nutrix dirigit contraria ad loca contrarias patientia dispositiones; ad quod etiam facit familiaritas illa, de qua modo dixisti.

Liu. Sed cuperem alia scire, quæ mihi magis essent ex vsu, quam quam nihil tuum est, quod me abunde non delectet. Est autem id, quoniam difficile est à cibo adeo diligēter abstinere, & normam adamussim seruare, an probes vbi aliquando deliqueris, quod multi faciunt abstinentiam postmodum illam cibi per vnam, vel per duos dies, vbi necessitas ingruat, & an tantum iuuet bis, aut ter incænatum ire dormitum, singulis septem

diebus,

diebus, quantum si singulis diebus detracta portione æqualem viuendi normam seruaret?

Erem. Omnis inæqualitas, mihi crede, mala est. Finge primum non abundare crudos humores, cui bono illa exquisita inedia, quæ virtutem atterit, & calorem exacuit, & tenuissimum sanguinis absumit; ipsum verò sanguinem totum bilioſum reddit, atque corrumpit: sin autē vitioſi iam sint humores, aut crudi, memineris nunquam, quod peccatum est, vlla diligentia, vel arte restitui posse: sed quippiā aliud loco eius vulneratur, non ad idē restituitur vnquam, sed ad similē. Porrò simile similius est aliud, aliud simillimum, aliud parum simile; aliquando nec simile restituitur. Si solum crudi humores supersint ex crapula, hoc minimum est malum; sed & minimū malum in hoc ipso, vt concoquantur, nec tamen cum restituitur, hoc sine offensa sit; Omnis ergo inæqualitas, atq; varietas mala, solum eam admittimus, quæ est æqualis, velut siquis prandeat hora sextadecima, cænet vigesima quarta, licebit, vt in prandio quartam partem solum assumit in cæna tres partes è quatuor reliquas totius cibi, non solū ob tēporis proportionem; & somni, atq; quietis; sed etiam quod in longiori tempore plus quam pro ratione longitudinis eius coquitur. neque enim si in sex horis vnciæ sex solum, cōcoquantur, in duodecim duodecim, sed aliquanto plures; neque si in nouem horis cibi nouem vnciæ concoquuntur, in decem octo horis decem octo cibi vnciæ concoquētur, sed minus. Eiusmodi ergo inęqualitas solū ferēda, reliqua & si nō vtilis sit, est tamē persæpe necessaria in victu delinquētibus nobis. Optimū igitur est quam propinquissimè ad æqualitatem cibi, ac tēporis accedere. Post ad çqualitatē cibi in cōparatione ad tēpus Tertium est, admisso errore, tunc abstinere. Itaq; virtus in difficillima parte est constituta, sci icet in vtraq; æqualitate. Aequalitas.n. diuinæ potentiæ argumentum est, effectus autē illius maximè diuturnus existit. Quicquid vero agitur præter hos tres modos, scilicet æqualitatis simpliciter, & eius, q̄ à proportione tēporis pēdet, & eius, q̄ fit sarciēdo priora delicta, id totū haud dubiè ad vitā pertinet belluinā, & haud hoīe ingenuo dignam.

Omnis inæqualitas mala.

Inediæ inutilitas.

Præcepta.

Civ. Sed quid si ventriculum reficere oporteat collapsum, aut supinum, vel nauseantem? neque enim videris posse vti præcipuis illis auxilijs medicorum, lacte scilicet muliebri, vel asino, aut iure pulli, vel vino, vel aromatibus ipsis, quæ præcipua traduntur à medicis auxilia ventriculi imbecillis.

Erem. Videris mihi, ô Amice farraginem quandam congessisse ex præcipuis quibusdam auxilijs, & ex alijs, quæ parum, aut nihil prosunt, alia omisisse longè his meliora, vnde modo mihi sint quædam præcipua, nec vnquam deesse possint, quia mea interest, quod omnia non habeã; quandoquidem & si haberem, non vsurus essem, neque possem vti, neque si possem, vellem, nam & his, quibus vti cogor, mallem abstinere. Dixisti ergo lac humanum, & lac asinæ esse præcipua, & vera dicis in hectica ventriculi, sed non in alijs causis; quod enim lacti cum ventriculo nauseante, aut supino? quid postmodum dicam de iure pulli, quod forsan si humores praui sint, contulerit illos detergens, aut si illo velis vti cibi loco; facilius enim concoquitur ita, vt nullum exhibeat negocium ventriculo fatiscenti? Neque enim dubium est, potum sorbitione celerius alere, & minore cum incommodo, sicut & sorbitionem cibo; sed & illud ad repletionẽ potius pertinet, quam ventriculi imbecillitatem: vt enim non fatigat ventriculum, ita neque roborat, itaque quod ad ius pulli attinet, in hunc vsum defraudatus in hac solitudine.

De aromatibus non est, vt dicam; habeo enim aromata, & præcipuè amica ventriculo, licet non exotica crocum, & myrti baccas, & mentham, sed vt dixi, & si hæc iuuent, non sunt tamen præcipua. Affers etiam vinum, de quo non negauerim propter vsum potius, tanquam naturam. Sed videamus, quæ sint præcipua ventriculo auxilia; nec sufficiat dixisse, si non probauero. Primum ergò dico, esse exercitationem, seu deambulationem matutinam, quæ oculos acuit, aures purgat, mentem exhilarat, ventriculum confirmat, teste Celso, caput roborat, & alleuiat, condensat membra, & agilia reddit, expellitque torporem.

Deambulationis matutinæ munera.

Cin. Sed non hoc auxilio tempus eget, languet æger? tu vis vt exercitetur?

Erem. Nolim expectare, vt adeò langueat, vt moueri nõ possit; Ego si dies non pluuiosa est, memoriale facio singulis diebus, & statim prodeo ad aerem liberum; hic valles, hic plana, hic colles: paulò longius flumen, montes, luci an non tibi videor satis beatè instructus ad liberam exercitationem? & vix vnquam redeo non locupletior floribus, plantis, ratis, lapidibus admirandis, animalculis præstigiosis. Si pluit, farinam facio, circumuerto molam, quæ mihi duplici magno commodo est; imitatus illud Virgilianum.

gemi-

geminos nam vestit lacertos.
Liberat, & cinctus villosæ tegmine capræ
Peruertit cauda silices, gremiumque molarum
Admouet inde manus operi partitus vtramque,
Læua ministerio; dextra est intenta labori.
Hæc rotat assiduis gyris, & concitat orbem.
Trita Ceres silicum rapido decurrit ab ictu.
Interdum fessæ succedit læua sorori,
Alternatq; vices, modo rustica carmina cantat,
Agrestique suum solatur voce laborem.

Sed non interea clamo Cybelæ; hoc vnum deest. Verùm dicetis volumus auxilia iam languentis ventriculi; nam exercitationem potius inter necessaria ad custodiam numerabimus, quam inter auxilia. Dico exercitationem esse auxilium, quia calor totus repurgatur, & reuiuiscit; excrementa cerebri, quæ ad ventriculum defluere solent, aliunde expurgantur, quæ in ipso sunt vētriculo, exprimuntur, fit exsuctio illa adeò vtilis ab eo, & à lecore, vt membra ipsa prægrauata pondere liberentur, sed postquam ità placet, dico ventriculi duo esse præcipua auxilia, panem coctum, & ius, quin etiam carnem limaciarum; nam nihil pane inuenitur amicius ventriculo ob longam consuetudinem; si quid est, quod offendere soleat, est duricies; illa verò tollitur multa coctione; facio autem in iure testudinis, nonnunquam in iure limaciarum; nonnunquam in aqua sola, sed addo mel; aliquando in aqua cum oleo.

Exercitatio est auxilium languentis vētriculi.

Cin. Sed quã iucundũ esse debet, præsertim in decocto limaciarũ?

Erem. Non parum suaue est, quod per se iucundum est, & bono animo editur. Si panis per se suauis est, quanto suauior coctus, vel cum mica salis, vel in aliquo iure, vel cum modico olei, vel addito melle. Vnum est, me iam tot annis nihil expertum fuisse commodius, & in quo fine offensa nulla perseuerare potuerim.

Sed iam dicamus de tertio auxilio, ideſt ius limaciarum, & caro earundem, sed non oportet tam obiter hanc rem pertransire, velut id de pane; limaces ergò, quàm iuniores possum, si operculo obductæ non sint colligo; si autem contectæ, quo maiores, tanto meliores, optimæq; in morbido loco, & inter herbas luxuriantes, & in adolescentibus dumetis. Fuge lapides, terram aridam, præcipuè nigram, sabulum, & vbi nascuntur herbæ exitiales, cicuta, mandragora, hyoscyamus, & amaræ, vt absinthium, prassium; & quæ sunt valdè agrestes. Fuge etiam

Ius & caro limaciarum.

cænosa, limosa; optimæ in ripis riuorum, sed & ex habitu; debent enim esse iuuenes, pingues, saginatæ. Dignoscuntur, quòd leue habent, non crispatum collum, mobiles, & rotundæ sine rugis, colore arundinis sub viridi glauco; gaudent asphodelo, & quæ ibi inueniuntur, optimæ omnium sunt. Malæ nigræ, cærule, æxertæ, quæ multum ambulant; Cornibus ætas fermè dignoscitur, propterea quæ longa habent cornua, & in cacumine rotunda orbiculorum in morem, quæuè humorem multum resudant, inutiles sunt. Dum eduntur, non strident sub dentibus, quæ optimæ sunt, & pingues apparent, & dentibus facile atteruntur, & in ventriculo nõ longo tempore subiguntur. Ante ætatem gignuntur operculo conditæ, durantq; vsq; ad ver, tum verò si terreæ non sint, optimæ habentur; quæ procul dubio sunt molliores, latent magna temporis parte, scilicet hyeme, & æstate, & ideo autũnalibus pluuijs prodeunt maximè, cõtectas aperiri haud dubiũ est; an verò omnes intectæ sint, verisimile est; quãdo quidẽ in inuolucro omnia oriãtur certũ est; multis etiã paruis, quasi alterius generis. Ergò illas, quæ magnæ sũt & iuuenes, & saginatæ, ac pingues, postquã mihi nũquã desunt, cuiusuis qualitatis, & vt ex copia seligere quodquod velim liceat, detraho è domo sua, diligenterq; abluo aqua cineris, seu lixiuio; deinde partẽ, quæ limo repleta est, contineturq; in intestino, totam aufero; postmodum multa aqua, & modico aceti coquo, donec supersint tres libræ iuris, inde extractas ex iure spolio cute tota supremæ partis tum etiam pelliculis omnibus inutilibus, sumen etiam abijcio, quod quanto plus coquatur, tanto magis durescat, post iterum repono in iure suo addẽs salis modicum, & piperis mei indici, sed & porrum vnum concisum, & oleum, & petroselinum iuxta finem, quandoq; etiam grana iuniperi recentis, demum crocum cum aufero ab igne, panemq; madefacio in eo iure feruenti, quod semper redigo ad minus pondus, quam sit libra, atque id ipsum, & panẽ, & carnes earũ edo maximè in cœna, nihil vtilius hoc cibo, primum quia astringentem habeat maximam vim, vt cohibeat omnes fluxiones, deinde quia substantia eius, si quis rectè cõsideret persimilis sit substãtiæ ventriculi, ideoq; illũ nutrit, & parũ ab eius temperamento abest; præterea vim detergentẽ habet, vt quicquid est in ventriculo, abstergat, aperit, & obstructiones, quæ sunt in iecore, & in mesæreo, & confert plurimum hepati proprietate substantiæ, quod Galenus nõ negauit, vnde multis modis

Limaces quæ bonæ, malæque.

Limaciarum cultus.

Vtilitas.

dis ventriculo vtilis est;tum quia plurima impedimenta ex iecore pēdent;tum quia virtus omnis nutrix ab eo viscere pēdet, itaq; videtur hoc vnū præstantissimū collapsi vētriculi auxiliū.

Sed si modo alia cōnumerare velim adducā longe meliora, quā vinū, vel lac, vel aromata, vel intra carniū;nōne vitellus oui recētis lōge plus cōfert ventriculo,seu nondum cōcretus sit,seu cōcretus,sed non obduruerit?hic.n.ipsum nutrit,atq;optimum ei,ac gratum exhibet alimētum croci, & salis pauxillo iniecto: post quē sunt oua testudinum, & iecora:laudarim tamē magis nemorosas, hoc ego consilium cæpi pro ventriculo seruando.

Ciu. Bellum sanè,sed aliquantisper operosum;maximè illud de limacibus,sed in ouo illud requirerē,cur albumē adeò refugias?

Erem. Si durescat albumen lapis sit, & cuiq; coctioni contumax, obstructiones parit durissimas,& materia est lapidis renum,& vesicæ, sicut & caseus, & qnod & si sorbile albumen ebiberis, non tamen securus es, nè eadem mala peragat,quoniam non concoquitur,à calore,sed durescit. Oui albumen malum.

Ciu. Cur ergò tam probas vitellum, qui & ipse durescit à calore, quinimo & ipse sicut albumen, quamuis multa aqua excoquatur,durescit tamen, eadem ergo progignet mala?

Erem. Vera dicis,sed albumen frigidum est,& lentum; vitellus autem temperatus,& friabilis;existimoq; magna ex parte absumi in alimentum ventriculi, & quod residuum est parte, qua pingue est, & oleosum (plurimum autem continet olei) transire in sanguinem secreto terreo.

Phil. Hæc cum dixisset,cibum sumpsimus, aliumq; præparauimus pro cœna ex cochleis tam laudatis. A prandio Ciuis inquit.

Ciu. An nō videtur ergò aliquod olus prodesse vētriculo?certè mē thā cū adduxisses postmodū inter hęc egregia auxilia prætermisisti:at ego sēper laudari cichoreā audiui,an tu forsā nō habes,

Phil. Hic senex tanquam alia causa stimulatus repēte surrexit,acceptoq; batillo,ac sarculo primum quidem niuem detraxit ex angulo horti ad meridiē spectantis,inde sarculo radices quasdam nudauit digitis à terra infra circiter quatuor,erat autem sabulum, nos arbitrabamur esse pastinacas prægrandes, risit hospes, iussitq; nos eruere tres, quas defoderat, eruimus sed maiore labore,quam existimabamus,tum ille.

Erem. An agnoscitis,quæ radix sit?

Phil. Erubuimus,quamuis enim agnoscere eam videremur,dicere non audebamus,hoc ipse conspiciens inquit.

Erem. Hoc

Erem. Hoc cichorium est, quod videtis.

Phil. Erat sanè magnitudine incredibili, vt vna radix homini vni acetarium elegans præbere posset; reuersi itaque statim terra, ac niue repositâ madefactas, & foliis helenij inuolutas sub cineribus condidit dicens.

Erem. Hæc nobis pars cœnæ, & argumentum sermonis erit, præstat ante oculos habere. Ergo quid dicis de cichorea, seu cichorio,

Phil. Hic Ciuis.

Ciu. Puto omissum à te, non tanquam neglexeris, aut oblitus fueris, sed quia non existimes tantum prodesse ventriculo, vt inter præstantia medicamenta numerari mereatur.

Phil. Tum Eremita paulo post adhæc inquit.

Erem. Interim quippiam volo facere.

Phil. Exijtq; in cortem ad meiendum, dum abesset, Ciuis inquit.

Ciu. Vidisti delicias regias? Existimabam me ad Eremitam venisse; venimus ad sanctum virum, ac admirabilem; venimus ad sapientem, & doctorem; ad Gazam persicam, ad delicias Assyrias.

Phil. Dum hæc diceret; Eremita ingressus est ostium, sedensque, inquit.

Erem. Dubitatis nè cichoream conferre ventriculo?

Ciu. Dubito auctoritate tua, cum antea non dubitarem, immo etiam dubito an & iecori conferat.

Erem. Ergo & iecori confert, & ventriculo?

Ciu. Puto.

Erem. Et dubitas, an conferat ventriculo?

Ciu. Dubito, quia plus tibi tribuo, quam mihi, tametsi dicat hoc Dioscorides; existimo enim, si non recipis, non errasse Dioscoridem, sed me illum non intellexisse.

Cichorea vtilissima ventriculo, & iecori.

Erem. At ego ostendam cichorium, seu intybum, nam dici solet amaris intyba fibris, plurimum prodesse ventriculo; nam vel per se prodest ventriculo, & si quidem prodest ventriculo, prodest & iecori, vt dicis; ideò & hac ratione rursus ventriculo vtilis erit; at sic duplici ratione ventriculo vtilis erit, atque ideo vtilissima. Sin verò non per se vtilis ventriculo sit, vtilis ob id est, quia iecori vtilissima; at quæ vtilissima est iecori, vtilis valdè necessario est ventriculo; vtrouis modo ergo dicas, cichorea vtilissima est ventriculo; imo quodcunq; eius genus; sed præcipua numerantur quatuor. Seris, quæ proprie in Aegypto nascitur folio minore, amarior, & astringens, venosa, atque

Quatuor genera cichorij.

atque ea optima est. Secundum genus ab illo cichorium est, cuius tres sunt species, sativum, quod pingui loco, & molli plurimum expressit, cuius imaginem seruamus sub cineribus, idq; vtile in obstructionibus est. Postmodum aggreste angustiore folio, & sicciore, non æquè gratum gustui. Tertia vero species minore folio, & valdè crispo, flore luteo in pappos euanescente, vocant Leonis dentem vulgari quadam similitudine. Tertium genus est, quod Sonchus vocatur iecori calefacto, & ventriculo maximè accomodatum, eius duæ sunt species aculeatum vtilius hydropicis, & morbo regio laborãtibus, & molle, quod ad lactucam vergit, quod suauius est, & melius nutrit, & febrientes refrigerat, parumq; differt à lactuca crispa, è cuius genere esse videtur vterq; Sonchus; cum enim non parum folio ei assimiletur, lac etiam emittit etiam aculeata. Quartum verò est Intybum, quod Endiuiam appellamus, cuius tres sunt species, seu differentiæ; sativa viridis valdè folio maiore, quàm cichorium, quo etiam illi longe, lateq; præstat, vt anima ventriculi dici possit, nec inferior in iuuando iecur ardentibus febribus perutilis; hæc tenui caule, & folio est quasi plantagini similis; alia minore folio, ideſt angustiore, sed crasso, candida, & dulcis; sed hæc arte fit, foliis filo circumligatis, & terra per hyemem obrutis, quæ omnino mala est, nisi quod refrigerat, & amica est ventriculo, leuiterq; concoquitur; at quæ non obruta est, neque candida est, neq; suauis, sed & lenti quiddam habet; tertia verò species ex lactuca, & endiuia progignitur; licet enim duas quascumq; herbas fermè sociare bifariam; primum constricta semina inuicem serendo, atq; ex adultis semina collecta, iterumque constricta rursus serantur, totiesque negocium repetatur, donec in vnum coeant, vnamq; similitudinem. Modus alius lactuca seritur, vbi radix adhuc tenera est, vel etiam cum adoleuerit præcisis foliis inserantur semina intybi, & cum nata fuerint mediam quandam naturam retinebunt. Sunt qui semina vnius in succum alterius infundant, indeq; serant; sed hoc nihil ad formæ similitudinem, sed solum virium confert. Communia igitur omni generi cichoreæ sunt quinque, quod sint insipida, quod amara, quod astringentia, quod nihil horribile gustu contineant, quodq; facile concoquantur, atque sine molestia: atq; hæc manifesta: & intus non manifesta: quod refrigerent, quod conferant ventriculo, & iecori, quod sedent fastidium cibi, quod aperiant obstructiones,

Soncí acu leativires.

Communia omni generi cichoreæ.

quod

quod vrinas proliciant. Exterius verò quandam similitudinem inter se retinent, quòd folio sint oblongo, & in acutum tendente, colore viridi, subnigro, laxa substantia, & parum pulchra, quod & flori eius conuenit, qui etiam rarò magnus est, præterquam in dente Leonis, quod aridior omnibus sit; sed & agrestis intybi rarò copia est; non absimile tamen primæ speciei satiui, aliis simile nunquam vidi.

Cin. Sed si hæc vera sunt, ergo mentha non erit ventriculo amicissima; absinthium vero erit: nam cum non legamus mentham esse vtilem iecori, absinthium vero perutile, liquet ex regula data, esse quod dixi.

Erem. Imò de absinthio fateor, maxime de illius coma, & præcipue Macedonici, & cum folia exigua sunt velut hyemis, & veris tẽpore; hoc autem debet esse suaue odore, & præter amaritudinem, gustu non iniucundum maximè cum sale, & oleo sumptum; verum de mentha etiamsi concedamus parem esse istis, non est necesse, vt iecori conferat; sed si confert, vt æq; vtilis sit.

Cin. At ergo si hæc ita se habeat cur tam absinthium, quàm cichorium, quorum copia, vt vidimus (imo absinthij plusquam velles) non deest, inter auxilia ventriculi præstantiora non connumerasti?

Erem. Sed cur neque famem, neque somnum, quibus duobus tantum homo obseruatis tantum proficiet, vt nunquam vẽtriculo sit laboraturus? Sed cur non de malo punica, quæ cum iecori multum, & ventriculo non parum inter vtilissima auxilia referri debet? adnumeranda enarratis? omnium vna causa erat velle recensere cibos optimos, cum tu quidem potius proposuisses lac, ius, vinum. Sed non mei muneris est medicinam docere, Galenus suam hieram præponit omnibus. Sunt qui à ieiuno frigidę potu maximè iuuentur. Sic necesse esset distinguere morbos, causas, occasiones, temperaturas, ætates, consuetudines: at hoc quid aliud esset, quàm Medicum agere? Interrogasti quonam pacto reficerem collapsum ventriculum; vel si collapsurus esset, sperarem posse restituere. Multa in suam gratiã commemoraui, sed non omnia; neque methodo, vt dicunt, nec ordine certo, sed vt res, & occasio ferebat, commemoraui.

Cin. At ergo, vt video principalia in hoc negotio erunt fames, intelligis non sine fame edere, somnus prolixus, exercitatio. Ciborum autem præcipua panis coctus, limaciarum caro, iusque, ouorum vitelli: tum absinthium inter medicamenta, ma-

lus

ius punica, cichorea. Sed quid de Cotoneis adeò laudatis, illane prætermittes? Cotonea.

Erem. Sunt qui laudant eximie, ego non reprobo, neque assentior: acido enim sunt succo, & ad appetentiam forsan plurimum, ad ventriculum parum conferre arbitror; vinum magis admitterem. Sed in vniuersum neque ciborum, neq; medicamentorum vllum probarim, quod sine pinguedine edatur; postulat ventriculus imbecillus omninò vel nutriri, vel curari; nutritur etiam cum cichorium, vel absinthium exhibemus, quoniam non sine oleo. Probetur etiam, quod curat, velut, vt dixi, quod iecori manifestè confert; nam sic ventriculus plurimum, & verè iuuatur, cætera magis in speciem, aut quia appetentiam excitant. Postulat enim ventriculus, vel cibo roborari, vel vt illius facultas, quæ à iecore, vt dixi descendit, corrigatur, vel vt liberetur ab irruentibus humoribus. Tertium id vnum est, vt ab onere, & impedimentis, explicetur. Sed hoc ad medicum pertinet; at ego medicina vti non possum, quando desit pharmacopola. Ventriculus quid requirat.

Ciu. At si cotonea, & mentham non recipias, admittas autem vinum, erunt vndecim: neque enim cerefolium, aut piper admissurum inter hæc nobilia medicamenta existimo, neque etiam crocum; tum quia non vis, tum quia ratio id non suadet; at cupiebam saltem duodecimum numerum explere.

Erem. Oliuas adde. Ego verò antequam in hanc Eremum me conferrem, sæpius expertum me affirmo ius chamarum, & & concharum, vt nihil melius ad restituendum ventriculum, & appetentiam collapsam multitudine leuis pituitæ: nam primum carne ipsarum vescebar, post confirmatus paululum panis offas cum illo iure sumebam. Ius chamarum & cõcharum.

Ciu. At si nutrire vis ventriculum, aut iecur iuuare, aut explicare ab infensis humoribus, quid ad horum vllum facit caro, concharum, vel chamarum?

Erem. Certè reliqua omnia ad speciem, non ad rem pertinent, & fucatam curam. Vere ergò cichorium cum oleo, sale, & aceto conditum pani iunctum nutrimentum temperat, & efficit medicatum, quod continua, & longa consuetudine permutat ventriculi non solum vires, sed etiam substantiam. Omitto quòd quædam iuuant functionem, velut quod tempe-

rat alimentum, quædam facultatem, vt exercitatio, & vſus aſtringentium; quædam vero ſubſtantiam, velut alimenta, & ſomnus. Cum igitur ita ſit, cichorium exempli gratia, aliquid exhibet nutrimenti ſalubris ventriculo; ſed longè magis eſt, quod temperat alimentum cui coniungitur; inditio eſt, quod videamus cichorium ipſum ſi ſine pane ſumatur, aut medicamenti loco, vel etiam cum pane, & ſale, parum aut nihil prodeſſe: conuenit igitur, quatenus pingui miſtum.

Cichoriũ temperat alimẽtum cui coniũgitur.

Ciu. Sed iam ſatis de his. Noſtri Medici vuam paſſam valdè commendant; quid tibi videtur?

Erem. Non improbo paruam illã, ſed non ea eſt, quam adnumerari velim his ſingularibus præſidijs; forſan cretica illa magna, recẽs, pinguis, plena, lucida, quam tenui cortice, guſtu ſuauis, admodum vibrans, neſcio quid vini Mombaſij perutilis fuerit, certè oliuis prætulerim: neque enim tam reſpicere oportet vires in his, quàm quandiu igneorum vſu ſine tædio poſſimus perſeuerare, neq; quàm valida ſint, quam ſine noxa, nec quàm medicamentoſa, ſed potius quàm benè nutriant, & in eũ vſum accomodata videantur.

Ciu. Has ergò, poſtquam duodenarium numerum excedere non placet, oliuarum loco reponemus. Sed quid ſi te podagra inuaderet, quomodo ageretur tecum?

Erem. Abſtemium, laborioſum, præparcum aggredietur podagra? ſed quomodocunque id agatur, ante extrema inedia interitura ſit, quam ego. Imo cum domi eſſem aliquando podagra detinebar; præſentiebamq; illius aduentum; ſolaq; abſtinentia illam domabam: quod ſi omnes id ſtuderent, longè melius conſultum eſſet aduerſus illam, quàm more medicorum potionibus, cataplaſmatibus, cibiſq; validis ſe dilaniandos, ac diſcerpendos morbo traderent; id initium facile intelligebam, cum velut ex hæmorrhoidibus fluxuris, nam & in malum aliquando expertus ſum, vel pridie, vel tertio ante die, velut non concoxiſſem, ſatietatem quandam in ventriculo ſentiebam, nec erat nauſea, neque quicquam aliud, ſed quod quantumuis parum ſumerem, non concoquebatur aliquando, nec in vigeſimã quartam horam, aliquando poſt decem, aut duodecim horas concoxiſſe videbar, atq; poſſe ſumere cibum. Sed ſtatim eadem ſatietas reuertebatur; tunc animaduerti, cũ hoc veniret nunquam non ſine magno malo mihi ceſſiſſe. Podagra enim ſta-

Podagram ſola abſtinentia domat.

Satietas quædam ventriculi inditium futurum podagræ.

tim

tim aderat, vel si antea iam cæpisset, grauiter me torquebat: quod minimè contigit, tametsi maiore morbo cibos & plures, & lautiores sine illo signo sumpsissem, vt id signum & immensæ plenitudinis sit, & indicium, quod nullo magis tempore, quã per initia & vtilis sit abstinentia, & cibi iactura maior. Itaque post aliquot vices votum feci, seruauique, nunquam sine fame cibum sumpturum, neque post habiturum consuetam exercitationem negocio vllo, aut studio.

Salubre Eremitæ votum.

Ciu. Video causam manifestè, cur cibus ab initio exhibitus adeò noceat; iam tum vires oppressæ sunt, & humor pessimè affectus: sed cur ab initio ventriculus laboret, cum in articulos materia defluat, id planè perspicere non possum; vt neque in hæmorrhoidibus.

Erem. Imo hoc ipsum ostẽdit aliquid plus, nam velut ab initio prægnationis pica mulieres fatigat, quoniam humores praui retentis mensibus circa ventriculum colliguntur, signum certum redundantiæ in iecore, ita & in fluxuris hæmorrhoidibus: latet enim multus sanguis, & impurus circa eas partes.

Ciu. Hoc satis constat, sed in podagra quid ventriculo cum articulis?

Erem. Replentur venæ circa iecur, atq; ideo idem contingit, cum exitus via nondum pateat, quocirca, & multi, vt audiui, feruorem quendam sentiunt circa iecur, indiciumq; est magnæ futuræ accensionis; quod si statim sectione venæ occurratur, morbus tunc sedatur, sed in posterum condicio deterior euadit, quoniam humores crudi adhuc seruantur. Sunt qui flatu plurimum offendantur, quo excusso tantundem alleuiantur, nam venæ plenæ vel intus, vel extra per se comprimunt neruos, vnde fit dolor, aut augetur. Itaque ab eo tempore parum vexatus fui his de causis; decoctum verò anisi pluribus auxilio fuit, dum ægrotarent. Quod flatum discutiat, & vrinas vehementer moueat; & vt calidum, & siccum egregiè omne genus coctionis adiuuet. Sed quibus hæmorrhoidas aperit, aut sudorem cit, vtrumque enim facere solet, nec obscurè, in his curat, atque præseruat.

Decoctum Anisi vtile.

Ciu. Mirum quòd Paulus dicat aliquos sanatos in perpetuum vini potu prætermisso, aquaq; sola pura vtentes.

Erem. Forsan quia humor ille crudus non habet quo dirigatur ad articulos, podagram non mouet.

Quare vino prætermisso podagra sanatur.

Ciu. Sed genitus iam, & copiosior ob potum aquæ quò demigrabit?

Erem. Quidam simul parciore cibo, alij crassiore, & minus nutriente vsi sunt, quibusdam materia ad hæmorrhoidas, vel ad scabiem deuenit, alijs mortem post aliquot tempus, & longis febribus ex doloribus ventriculi, quæ ego vidi; alij hydropes, sarcoceles quibusdam, quorum quia mortem obiere, post paucos annos, dico persæpè duos, aut tres egregij illi medici non animaduertentes, vel non existimantes factum, ob id non meminerunt.

Vsus aquæ periculosus

Ciu. Attamen ille Pecchius Mediolanensis, qui perpetuis viginti sex annis in carcere tetro latuit pane exiguo nutritus, & aqua, & si quando lautè exciperetur paucis additis nucibus cum modico sale, ita conualuit, vt nulla victus iniuria recideret in morbum.

Eerm. Quid mirum, nam tam longo tempore consolidatus calor naturalis iecoris coxit, & absoluit cibos sublata intemperie, quæ impediebat, articulorum etiam meatus iam constricti ob alimenti paucitatem non poterant humorem tametsi crudum, & influentem admittere, quo reiecto interim natura prouidet, vt aliquo commodius dirigatur, modo mouet diarrhæas per interualla, modo vomitus, modò hæmorrhoidas, omnia sine periculo, sicut & scabiem, & tubercula quædam, frequentius ad vrinas, id non sine periculo, nè lapillus gignatur, si diù stultè perseuerare vellet in crapula, procul dubio febris longa, & periculosa excitari posset, vel vrinæ retentio. Sed iam assuetus tantæ parcitati vix transiuit ad crapulæ saltem continuum vsum; vnde etiam accedente exercitatione immunis euadet, sanusque perfectè deget. Itaque vt vno verbo dicam, volenti facillimus morbus est podagra, modò quis abstinentiæ patiens sit; nam qui eam ferre nequeunt, sola luxuria obstante, vel quadam animi mollitie præcipuè ob consuetudinem his grauis fit, non solum ob nutrimentum perperam exhibitum, & qui concoqui nequit; sed quoniam recurrunt ad purgationes, & venæ sectionem, & iunctiones, & emplastra, quibus nihil potest esse deterius. Accedit tertium incommodum, quoniam assumentibus cibum ab initio dolor augetur, & ex dolore influxio maior; vnde etiam caliditas maior, vnde attrahitur materia, quæ trahi non debet.

Naturæ prouidentia.

Nil deterius in podagra quâ recurrere ad purgationes, & venæ sectionem.

Ciu. Sed quandiu abstinendum est à cibo?

Erem. Nulla melior ratio, ac norma, qua ego vsus sum, est, quamdiu fames aduenerit.

Ciu. Quid

Ciu. Quid si per quindecim dies non exuriat?

Erem. Siquis non alio auxilio vsus fuerit ante triduum non excedet, sed si alijs consuetus fuerit auxilijs poterit protrahi tempus, sed interim non debilitabitur, nec lædetur ex inedia.

Ciu. Ergo nunquam licebit quicquam apponere?

Erem. Licebit vbi particula ex eo genere sit, vt nimis impediat, quod peculiare est genubus; in his enim fomento astringente, & calefaciente vtor, velut vino cum rosis ab initio, & cum fructibus cupressi, ac sale; postea etiam oxycrocio cerato, nam in huiusmodi nec periculum est, vt materia intercipiatur, nec si auxilium non adhibeatur, non nisi longo tempore sanescit, & si non sanescat, perfectè ambulare non potest, ideo in hoc solo casu fermè, & in manuum digitis ob doloris acerbitatem repellere, roborare, resoluere debemus, non laxare tamen, neque lenire, vt imperiti solent.

In genubus & manuum digitis medicamenta localia conueniunt.

Ciu. Non putabam podagram infestare genua.

Erem. Raro certe id facit, sed si faciat, pessimè affligit hominem, nam conuulsionis quandam imaginem præbet aqua omnis alia podagra absimilis est, & ambulationi maximum affert impedimentum, cum peculiare ei vni sit, vt nescias quomodo tuto tibiam dirigere, & genu circumuertere debeat, vt non doleat.

Ciu. At mihi videris Medicus absolutus potius, quam Eremita.

Erem. Certè antequam in hanc solitudinem venirem, Medicus fui, & huius solius morbi, atque hanc artem circum ambiens Italiam, & Gallias profitebar.

Ciu. Quam benè fortunatus fui in hoc meo itinere, vt præter reliqua commoda, etiam huius morbi, qui me aliquando tentare solet, tametsi non grauiter, curam didicerim. Sed dic quæso (quod Deus auertat) quod si resolutione tentareris?

Erem. Hic morbus hæreditarius esse solet, atque cum hoc rarò, vel nunquam eos attingit, qui consilio prædita sunt, nec memoriam fatigant: à multisq; tenuis, ac copiosi alimenti cibis, qualia sunt oua, & vinum, abstinent.

Ciu. Ergo reuertamur, si placet, ad institutum.

Erem. Vtique.

Ciu. Duo sunt, quæ mihi negocium non leue facessunt, vnũ quod præscripseris quantitatem cibi vnam, qualitatem nõ præscripseris, cum hæc pugnare videantur, nam si gratia exẽpli quindecim vnciæ cibi exhibeantur, si ex carnibus, & ouis alimentum erit,

Dubitatio non leuis.

erit iusto maius, si ex oleribus, & fructibus homo debilitabitur, neque ferre poterit, quid ergò nos iuuabit hæc mensura, quæ adhibita detrimentum affert, nonne melius esset paucis ouis, & carne vesci, & si contingat vti oleribus, ijsdem multis vti?

Respõsio.

Erem. Pulchram attulisti dubitationem, atq; vtinam Cornarius noster eam attigisset. Sed hoc quæsitum paucis quibusdam regulis ex ea mensura collectis, ac præsuppositis constat. Prima est, quod totius ponderis cibi dimidium sit panis: vnde quod ad hanc medietatem attinet, nulla potest esse varietas. Secunda, quod præsupponit adesse ouum, vel carnes, vel vtrumque, quæ valdè nutriunt, & ferculum, quod plerumq; rarum multum nutrit, atq; ita iam videtur hic cibus, quod ad qualitatem attinet, mediocris. Tertia quod si quod discrimen sit vtpote quod aliquando multis carnibus vtatur, & suillis præsertim, aliquando minimum ex his sumat, sed olera, fructus, vel vuas passas, & huiusmodi, quæ parum nutriunt, dico id commodissime factum: cum enim natura non semper æquali cibo indigeat, & immutabilis iam sit quantitas, ipsa qualitate sarcitur, tum maximè quod corpus secundum naturam dispositum vtilium appetens est secundum naturam, vt si humores paululum exuberauerint, appetet olera, cappares, & si aluus astricta sit, horarios fructus, & pruna, & vuam passam, & maluam, & betham; & si æstuat ventriculus lactucam, & endiuiam, & cucurbitas, & cucumeras coctos; & si languidus sit pyra, cotonea, mespila, sorba, mala punica; & si viribus deficiatur, appetet carnes vituli, capi, & oua.

Natura appetit varia, secundum variã corporis dispositionem.

Cin. Intelligo, sed adhuc supereſt vnum, quod scire vellem, & est, quoniam dixisti, quod cocta plus, & melius nutriunt, an id perpetuo verum sit, vt quanto magis coquantur, non deficiente tamen aqua, tanto magis nutriant, & melius: nam non tam absurdus sum, vt cum pauca aqua dicere velim; corrumperetur enim, non coqueretur.

Erem. Distinguere oportet diligenter: Primum dubium non est, quin ad perfectam vsque coctionem omnia plus, & melius nutriant, & facilius concoquantur, omniaque cruda, aut parum cocta cibi ratione parum vtilia esse. Nam pro medicamento sumpta cruda præstantiora sunt, si sic edi possint. Ergo cocta perfectè duorum sunt generum, assata, & elixata. Assata, si vrantur certè, vt etiam antea dixi, sicut & frixa, omnino corrumpuntur, nec de his sermo habendus est; si autem non vrantur,

Cruda pro medicamẽto præstantiora sunt.

tur,sed vlterius excoquantur, minus excrementitia sunt, non tamen plus nutriunt, neq; meliora sunt. Non plus nutriunt, quia quantum coquitur,tantum diflatur;neque melius, quia quod pinguius fuit, euanuit; quod coctum est noue terreum magis est; quod antea excoctum erat,aliquanto siccius factum est; neque ergo melius,neque vberius alit; minus tamen est excrementitium,vt dixi, vnde celerius concoquitur: plus enim iuuat,quod careat excrementis,quàm obest,quod siccius sit alimentum. In elixis verò quanto plus iusto excoquuntur,minus certè alunt, quoniam plus trahitur in ius, quam in alimentum conuertatur; atq; id etiam, quod in ius trahitur,melius est, & succosum magis,quam pars, quæ coquitur,fit etiam deterioris alimenti ea ratione, minus tamen est excrementitium,& longè facilius alit omni ratione; atque hoc de cibo ipso.

In assatis quod pinguius est, euanescit.

Elixa simpliciter minus alunt, sed longe facilius,& minus excremẽtitia sunt.

At si cum cibo etiam ius intelligamus, tunc ex cibo transibit in sorbitionem,veluti panis coctus vlterius cum multo iure valdè, & plurimo igne hic multum nutriet, & quanto magis coctus fuerit, alimentumq; eius sorbitionis abundans bonum, sed inæquale,non excrementitium,& facillimæ coctionis adeo, vt ex quatuor conditionibus præstãtis alimenti omnes habeat in superlatiuo gradu, præter illam, quæ ad perfectionem attinet;neque enim optimum est ad vngue m alimentum.

Phil. Hæc cum dixisset, parauimus nostras cochleas, atq; cichorium,aliaq; ad cœnam,latiq; discubuimus.

MERCVRII dies aderat, & lux clara Solis permeabat rimulas cœnaculi,vt è cubiculo prospiceremus diei claritatem; inde surgentes curatis necessarijs itineri nos dedimus, vt Thomam Comitem conueniremus; quantum enim licuit,laborabat is sedulo,vt eum in societatem vitæ perduceret. Itaque ad sacellum deambulantes, incidimus in disputationem, an quicquam posset inueniri,quod à natura sit alienum,præstantius ipso naturali affectu,dicebat inquam Cinis.

Quid opus est tot regulis ad vitam incolumem seruandam atq; in longum producendam quam ferarum ritu viuere, comedere cum esuriunt, atq; in hoc natura etiam docuit quæ meliora essent, bibere cum sitiunt, somnos ducere cum dormita nt, exercere cum alacritas ad hoc sponte impulerit? non velim, vt illecebris cibi capiaris, non vt hortatu amicorum, non consuetudine, & vt vno verbo dicam, nulla prorsus alia ratione, quam si solus esses, atque occupatus;tum enim

non

non nisi fame vrgente ederes, de ciborum delectu nè verbum quidem, quæ delectant, prosunt, quæ prosunt delectant; nisi corpus deprauatum sit humoribus, aut animus consuetudine popinarum. Vixit Seneca, vt ferunt vltra centesimum annum pane, pomis, & aqua riuulorum; sit crudum si tanto minus edas, pariter concoques, & minus impleberis. Sed liceat modo vti coctis velis aliquas regulas: optimum in suo genere suaue, atq; iucundum, ex vsu trito hominum simplex, atq; coctum, & non vltra metam; si huiusmodi cibo, ac potu contentus fueris, fameq; vrgente solum vtaris, in quo potest esse peccatum? at si alia ratio ineunda est à naturali, vel naturalem abijcere oportet, vel illam aliam aliter vtrâque fieri non potest, vt probes, nisi vna eademq; sit. Feræ ipsæ rarò, vel nunquam ægrotant, nec pereunt ante tempus, nisi aliquo incommodo externo affectæ. Si ergo ratio viuendi illas nunquam decipit, aut fallit; Nonnè amentiæ pars est velle aliam tentare veluti meliorem?

Seneca vita vltra 100. annũ.

Phil. Hæc cum dixisset sic respondit Eremita.

Erem. Tam difficile est seruare metam in voluptatibus homini, cum iam per multas ætates sibi ipsi indulserit, vt nequaquam sperare debeamus frui posse beneficio naturæ syluestrium animalium: quod si id facere possimus, nec tamẽ contingeret vita incolumis, & longa ob id, quoniã animalia & soli vitæ student, & ad solam vitam seruandam structuram suam nacta sunt: homo verò ad intelligentiam, ad memoriam tantarum rerum, ad studia natus, non poterit sufficere ad se custodiendum sola naturali inclinatione? sed ratio illi fermè pro natura est; Quoniã nudus natus sit, ob id ne parare vestes, quia reliqua animalia solo eo, quod dedit eis natura, rectè se habeant; An quoniam Leones, & Lupi, & Felles, & Cerui, & Cuniculi, & Serpentes, & Anguillæ, & Locustæ suis armis vtantur, homo inermis à natura factus nihil exterius feret præsidij, non parauit natura rationem, quia homo sine ratione viueret; nam si homo naturalẽ affectum secutus comedat, bibatq; quantũ appetat, id sequetur detrimenti, quod miles, & agricola tam parum comedet, bibetq; vir verò studiosus, atque quietus tam multum, quã agricola, ac miles; vnde studiosus ægrotabit, agricola, & miles aut ad munera sua inutilis fiet, aut contabescet: Quamobrem homini ad vitam, sanitatemq; tuendam omnino opus est ratione, nec è re sua erit, vt naturalem affectum more animalium brutorum sequatur; ergò homo non appetitu, sed ratione victus

Ratio homini pro natura est.

mo-

modum conseruabit, ac diriget; Multa illi facta sunt impedimenta, dentium imbecillitas, ventriculi tenuitas, nulla in manibus arma, neque in pedibus, caro mollis, cutis vt araneæ tela, ipse impatiens non solum doloris, sed caloris, & frigoris, vnus præ omnibus animalibus, & sponte ægrotat, & tot morbis subijcitur, quot non omnia animalia cætera simul; inde tot curæ, tot labores, cõsuetudines ad leges, quibus ad ea, quę non vult, impellitur, ab his, quæ vult, arcetur, ipse solus suas miserias agnoscit, cum non possit depellere. Ergo ratio vna sola sufficere potest tot regendis incommodis, quã relinquere neque possumus, neq; debemus; sic tamen genio indulgendum est, vt sæpè cum benè valemus, nec vis aliqua vrget, nostrumq; domuerimus abundè sensum, non exercitatio sitim, non exemplũ conuiuantium famẽ accenderit. Circa qualitatem ciborum, ac potuum naturalis instinctus, & appetitus pro norma habendus est, calefactum ventriculum etiam aquæ aspectus recreat vini odiosus est, aquam bibamus, vinum fugiamus; rursus ventriculus frigore laborat, dejectus est aquã horret, vino gaudet; vinum bibat, relinquat aquã. Longũ sit, si singula recensere velim, ita fructus aliquando, quandoq; pisces, quandoq; caro conuenient; atq; eo modo, quod commemorasti, documẽtũ perutile erit, nec negligẽdum; vtemurq; eo fermè semper moderante ratione; placet equus acer, agilis, robustus, insignis, sed nõ sine habenis; nam sine illis cui vsui erit, nisi vt celerius excutiat sessorem, & ex altiore loco cadentẽ magis perfringat; vtemur naturali instinctu perpetuo, rectricęq; natura, verum moderatrice ratione, atq; vt ita dicam, medica norma semper, & assidue adhibentes parsimoniam. Hominis impedimenta, ac labores.

Phil. Interim apparuit collis exignus, atq; in eo arbor grandis prostrata sessioni opportuna, hic Cius inquit.

Cius. Si fessus es, ecce locus ad sedendum nos inuitat.

Erem. Pauci sunt, qui norint, o amice, quod sedentaria ambulatio magis fatiget hominem, puto quia refrigerat illum: sed enim hoc tempus non est discutiendi causam huius, de vsu potius exercitationis, quam salutis corporis causa suscepimus, si placet, differamus, quandoquidẽ parũ adhuc absumus à nostro tuguriolo.

Cius. Desidero audire; sed mallem si liceret prius hoc intelligere, qui fit, cum labor omnis sit, vt dici solet.

Leuiter austerum studio suadente laborem. Et rursus.

labor omnia vincit.

Durum esse laborem nemo ignorat, quandoquidem quies ipsa nobis tam iucunda est; qui fit, vt multi tamen laborem appe-

tant ſponte? videmus enim ſpontè laltantes vitulos, currentes equos; canes verò circum currentes.

Labor trifariâ ſponte experitur.

Erem. Rectè dubitas, ſed labor trifariâ ſponte experitur, per ſe nunquam. Primum quidem finis gratia, cupimus videre fontem, montem, ſyluam, non labor experitur, ſed voluptas, cuius comparatione labor minime moleſtus eſt. Secundo ob conſuetudinem: ex labore enim vapores gignuntur, atque reſoluuntur; longo poſt tempore, cum labor deſiit, etiam vapores gignuntur, & cum non reſoluantur, laborem exigunt; aliter patiuntur laſſitudinem quandam in membris. Eſt & tertia cauſa animus ipſe diuinus, qui tam cupide motum appetit, quam corpus quietem. Itaque ſæpe exſurgimus magnis animis ad capeſſendos labores.

Eſt pars diuinæ naturæ impigrum eſſe ad labores.

Eſtque pars diuinæ cuiuſdam naturæ impigrum eſſe ad labores; cumq; quis delectatur laboribus, ingenui etiam animi eſt. Vlyſſem & infatigabilem, & prudentem, ac patientem finxit Homerus. Ita Xenophon ſuum Cyrum; Alexandum magnum, & eius patrem Philippum conſtat fuiſſe laborioſiſſimos.

Quod ſi etiam nulla conſuetudo vrgeret, reliquiæ priſtini alimenti nos inuitant, atq; eo magis; minuſue quo alimentum ipſum flatuoſius extiterit, ac durius, propter enim oſſa, ac cartilagines, & ligamenta, tum muſculorum fines, homo exercitationem deſiderat; ſi homo non ſe prorſus moueat, etiamſi moderato victu vtatur, non recte ſibi conſulit. Sed neque deambulationem ſolam ſufficere homini arbitrer, cum in ea ſolum partes inferiores agitentur: neque viuenti moderate, tum maxime ſeni vlla validior motio conuenit. Ergo ſenex, qui moderate cibum aſſumat, potumque, ſolum deambulabit, quantum ſibi ſatis eſſe videbitur; ſed & brachia lauandis vaſis, aut colligendis lignis, aut ſcindendis exercebit; omnium vero meta erit vna, vt cum voluptate huiuſmodi peragat. Eſt enim, vt dixi, principium ex animæ parte alacritas quædam: ex corporis autem ſtimulus à vapore, per quem inquies, pandiculationes, oſcitationes, & venereorum appetitus, & laboris deſiderium excitantur.

Meta laboris voluptas.

Ergò conſueſſe labori debemus, vt eum cum voluptate ferre queamus. Sed & in cibis, conſueti ſunt nobis faciliores panis, caro, vinum, oleum, piſces, olera. Non ita mel, & quæ deſuetæ ſunt, debemus tamen, & illis vti tum maximè cum corpus adeò à naturali robore deſtituitur, vt fermè languenti ſimile ſit; præcipue verò ventriculus, & iecur. Ardet homo, ſitit, nil appetit, non concoquit: tum non melius erit endiuiam cum aceto ingerere, & aqua loco vini vti, quam in conſtanti victus ratione perſeuerare;

seuerare; nec solum affectus, & labores, sed etiam anni tempora consuetudinem mutandam indicant. Et vt variare singulis diebus qualitatem cibi non est vtile, sed potius gulæ consulentis, & ganeonis; ita non semper in ijsdem persistendum duco. Laudetur mediocris varietas, quæ intra terminos constitutos contineatur, pro endiuia cichorea, oxalis, & similes; nunquam tamen in eadē mensa laudauerim has ciborum varietates: sed aliud est de eadem mensa, aliud de circuitu anni, mensiumque.

Exercitiū validum noxiū per quinq; cau sas.

Ergò vt ad rem redeam, exercitium validum conseruandæ sanitati, & multo minus producendæ vitæ conducit.

Primum, quia dilatat arterias supra modum in pulsibus illos magnos reddendo, vnde corpora redduntur imbecilliora.

Deinde quòd exsiccat cum prauo aliquid de vtili humido, & ita vitam breuiorem reddit.

Tertio quia assuefacit hominem multiplicationi vaporum, qui vel resoluuntur nouo exercitio, & ità res procedit in maius detrimentum in dies; vel non resoluuntur deficiente exercitatione, & sic periculum est, nè superueniat febris, vel saltem lassitudo oboriatur.

Præterea in exercitio feruent humores, & ideo corrumpuntur, ideo perseuerando non aliter corrumpantur, quam siquis vinum quotidie agitaret, aut iuxta ignem poneret.

Accedunt incommoda quæ sequūtur, alia perpetuo, vt maior fames, ac sitis, per quæ, si non comedas, plus corpus videtur affligi; si comedas, repletur, & ægrotat: plus enim est, quod resoluitur ex humoribus, quam quod adijcitur robori caloris naturalis, & eius viribus. Quæ autem non semper aduenium, sunt vt immodicè exercitato, aut etiam satis mediocriter, sed succedente frigore, aut frigidis ventis homini fiat statim febris magna, & vehemens, vel defluxio, & decubitus in aliquod membrum: ex quibus magni morbi, periculosiq; sequūtur, sæpeq; etiā mors.

Ciu. Sed hæc ipsa magis opus habes in eremo, colligendo ligna, triticum secando, iter longum agendo, cum in locis cultis hæc per alios facere possis, quorum corpora sunt robustiora, & siquid eis mali eueniat, suo etiam malo euenit.

Erem. Dixi non esse vtilem exercitationem, quæ in Vrbe degenti, vel villa ob exemplum magis in vsu est, quam ob necessitatem. Imo vt dixi, solitudinē esse peruti:ē, quia exercitatio, qua in vrbibus homines vti solēt, nō est res necessaria, nec vtilis hominibus.

Ciu. Perquam callidè elusisti obiectionem meam, sed perge.

Erem. Igitur deambulationibus interdum sub diuo, dum licet, aliter

manuum exercitationi operam do, nec mihi sunt alteres necessarij, torq; alia inuenta, non solum ad laborem, sed ad perniciem nostram. Quandoq; demirabar tot inuenta in obsonando contra nostram salutem; at nunc desino mirari, cum illa saltem nos delectent; at hæc, quæ etiam odiosa sunt, plurimumq; obsunt, quis inuenit? aut cur?

Phil. Interim ad Sacellum peruenimus, pulsamus ostium tugurioli, erat id spelunca potius in vertice montis posita; paulo post aduenit. Tum ego interim, occlusus manet hac hora? quid si ægrotet, aut absit, aut etiam abierit, vel dormiat?

Erem. Abijsse non crediderim, cum me inconsultò se facturum id negauerit. Deinde ne hanc cellam sibi pro hæreditario iure conclusam seruabit inanem? aut refertam tutus in hac solitudine? Qualis autem hora dormiendi Eremitæ? sed quo morbo laborabit, qui tam parcè viuit?

Phil. Dum hæc dicerentur, aperuit. Hic Eremita.

Erem. Dubitabant socij, quòd ostium non pateret, ne ægrotares.

Phil. Tum ille.

Th.Co. Qui solus degit, etiam in Vrbe, semper sibi bene consuluerit, si ostium occlusum habeat. Multa possunt superuenire, per quæ ab vno opprimamur, vel incauti, vel imparati; semper violentiæ plurium sumus obnoxij. Hic tutiores, quanto sumus à latronibus ob solitudinem, & loci asperitatem, eo magis periculosiores ob vrsos, & lupos, rabie, & fame sæuientes.

Phil. Ingredimur, & in cespitibus, truncisq; arborum illo iubente sedemus, hic dux noster.

Cin. Quomodo vales ò Thomas Comes? ac verè mihi comes?

Th.Co. Bene.

Phil. Tum ego. Vix fieri potest, vt quisquam in hoc montis vertice ob ventos viuat, nedum vt sanus viuat. Quin etiam verer, nisi Deum custodiam quandam peculiarem tui habere existimarem, ne quandoq; cum tuguriolo venti in sublime te agerent; quis enim illis resistere posset? vbi etiam fulmina, & tonitrua fiunt, adeo vt viuens etiam inter tonitrua, & vt dici solet cum Iupitre degas. Subrisit ille, tum sic.

Thom. Iocaris ò Gnasce tuo more: sed dic sodes, an putes meliorem esse aerem tuæ vallis conclusum, & vaporibus plenum, an hunc verticis liberum? Sanè quòd ad detrimenta corporis attinet, vterq; nostrum abstinẽtia, & continentia cibi potest omnẽ aeris iniuriam sustinere: vbi.n. nullus est humor malus, quid, & quantũ obesse possunt iniuriæ ventorum? vidimus excussos bigis, verberatos,

Continentia cibi omnem aeris iniuriam sustinet.

ratos,contusos,cum essent secus incolumi corpore,euasisse mortem; quanto magis aeris noxam ?

Erem. Sed ò beate,dicam omissis iocis, aerem vallis non profundæ, sed excelsæ, qualis est domunculæ meæ,salubriorem esse tuo,qui nimis violentus est;vbi enim à naturali statu declinaueris,quanto minus declines, melius est,ac tutius. Neque enim in illis est, quod dici solet de vallibus, quod loca sint æstuosa, non perflata, & aquæ illorum malæ.

Thom. Istud mirum est, quod persuadere mihi niteris:an meministi, quæ dixerit Princeps Medicorũ? In locis habitabilibus altis morãtes sũt sani,robusti, laboris patientes,& diù viuũt. Et si præter id loca sint lapidosa,& aperta, liberaq; eorũ corpora erunt robusta,& solida,ac sicca, vigilantes, & solertes.Quod si præter id etiam locus niuosus sit,venti salubres erũt,& frigiditas adiuuat ad coctionem. Et si cũ hoc humidior sit aer, modò liber sit,erunt magis carnosi,ac pingues. Nã qui nouas nunc de India Oriẽtali historias scribũt viros illos tã longæuos,& supra cẽtum triginta annos vitã producẽtes,quales etiã prædicat Strabo, & magis de Seribus, eos habitatores montium fac unt. Audiui in Carneis montibus,cum quidam vidissent hominem in cathedra sedẽtem admirati, quod esset facie illa Hippocratica, & prope centesimum vigesimum annũ, at ille respondit. Quem quæritis patrem meum ? illi riserunt; tum is, qui sedebat;seriò,inquit,dixi: non enim ego sum, de quo mira illa audiuistis. Itaque eo hortante ascenderunt altius, & inuenerunt seniculum adhuc dolantẽ tabulam;interrogantesq; cum,centum quadraginta annos habere se respondit: vtar enim verbo eius. Et certè locus, vt dixi,conueniebat,& ars,& vitæ moderatio. Quod autem magis admiratione dignum fuit,quod adhuc validis esset viribus, ac sensibus.

Loci habitabiles alti conducunt maxime ad sanitatem.

Ciu. Sed si vos non interpello,licetq; mihi cũ tantis viris, & puer cum senioribus cõgredi,vt patriæ meæ iura tueat, & ego aliqua dicã. Nam in vitæ longitudine Aristoteles neq; montes,neq;valles expressit, sed regiones maritimas;quod etiam Homerus sensisse videtur,cum Nestorem faciat iã tertium ingressum sæculũ.

Illum iam exegisse hominum tria sæcula fama est. Et Ouidius.

Vixi annos bis centum,nunc tertia viuitur ætas. Et Iuuenalis, quem ob decorem carminis cito.

Rex Pylius,magno si quicquam credis Homero
Exemplum vitæ fuit à cornice secundæ.

Et nos hic spectamus in Italia,& Gallia non in montibus longæuos,sed iuxta mare celebrari. Vnde maximè in vrbe nostra,&

Genuæ

Genuæ ſenes firmi, nec quaſi fortuna quadam ſinguli, aut pauci, ſed tã multi inueniuntur, vt cõſtanti ratione fieri id dicas. Quippe & ea adeſt copia humidi, & denſi, minimèque putredini obnoxij. Quod.n. ſalſa non facilè putreſcant, experientia docet. Itidem quod neq; facilè abſumantur, declarat experimentum lampadis, ac lucernæ: oleo enim ſal miſtum facit, vt tertia fermè temporis parte amplius duret. Sed & de Macrobijs ſcripſit Lucianus ille, ſanè affirmat Medos, & Perſas, Parthoſq; ac Seres, alioſq; viuere ſupra centum triginta annos, cauſamq; reijcit in victus moderationem, præcipuè potum aquæ. Sed ego hoc ita velim intelligi, quod aer orientalis optimus eſt, inde ſolum, ex quo aquæ, & fructus, quorum omnium temperato vſu vita exiſtit longæua. Nam aquæ vſum ad vitæ longitudinem neceſſarium exiſtimo non ſimpliciter, ſed optimæ.

Phil. At noſter Comes inquit.

Th.Co. Habuiſſe conſuetudinem cum Medicis, qui aerem montium, & maximè verticis omnium ſaluberrimum exiſtimarent. Adducebat neſcio quid ex Atheneo apud Oribaſium dicente loca ſublimia omnium ſunt ſaluberrima. Et rurſus montana ſalubriora ſunt, & maximè ſicciora, & maritima etiã calidiora, omniũq; ſaluberrima, quoniam etiam ſicciora ſunt, vnde inſulæ ſaluberrimæ ſunt, & fructus habent optimos.

Ciu. Hoc verum puto, nam & facilè coniungi poſſunt. Nam Sogdiana, & Bactriana iuxta Caſpium mare ſunt, tum Media: Perſarum autem regio ad ſinum Perſicum Maris Indici montana tota; ſicut & India ad Indicum Mare Oceani partem Orientalis. Drangiana vero, & Arachoſia, & magis Paropaniſus montana eſt tota. Adeò vt omnes hæ regiones è quatuor conditionibus in tribus conueniant; vt ſint Orientales, & temperatæ omnes, & vel mõtanæ, vel maritimæ ſolum Serica regio plurimum abeſt à mari, & plana eſt; ſed tamen temperatiſſima, & in ipſo Orientis initio, nec de ea ſatis conſtat, quod adeò viuaces ferat homines.

Regionũ conditiones.

Phil. Tum ego & mihi liceat hac in cauſa aliquid dicere.

Th.Co. Dic quod velis.

Phil. At mihi ea ſententia Luciani placet, vbiq; diù viui poſſe, modo temperata ſit ratio viuendi; quamquam non negarim, quaſdam eſſe regiones, vbi minore cura homines id conſequantur, & etiã vlterius progrediantur. Nam Plinius auctor eſt T. Fullonium Bononienſem centum quinquaginta annis vixiſſe, cum is aer ab omnibus improbetur. Sed & in Tmoli montis cacumine, quod vocãt Tempſim (Hic in Aſia minore eſt prope Sardim, ſed ea eſt in Ma-

Vbiq; diu viui poteſt modo temperata ſit ratio viuendi.

in Maris littore, hic non parum abeſt à mari) viuere homines tantumdem conſueſſe.

Quid Romæ dicam de M. Valerio Coruino, & Stephanione Mimo, qui centum vixerunt annos? cum magis de Lucia Mima, & Copiola Embolaria, & Samulla, & Terentia notiſſima fœmina, Ciceronis coniugio: ſed nulla magis Ofilij Clodia quindecies enixa totidem annis ſuperauit ſæculum. Conſtat de Democrito in Abderis Thraciæ, & Gorgia Leontino Siciliæ: at quantũ abeſt Aetolia Epiorum gentis, vbi propè ducentos annos viuũt? Sunt antè Epij, qui & Epei, ijdem poſtea Elei dicti, vt Strabo refert. Sed ſi ad Aetolos referatur, hi in montibus habitant. Aetholia enim montana regio eſt. Qui Romæ diu vixerunt.

Ciu. At vnum mihi occurrit inter hæc, quod ſcire vellem, ſcilicet an aer hic cacuminum mõtium tenuis ſit, an craſſus: & an vtilior ſit capiti eo, qui in valle eſt: Audiui enim Bononiæ Medicos dicentes, aerem illum eſſe tenuem, cũ Bononia ſit ſita ad Boream, & radicibus Apennini Montis, ob idq; capiti valde noxium?

Erem. Tria cum ſint, vnum tantum verum eſt, quod aer ſcilicet Bononienſis, velut & Florentiæ, & quarumcumque vrbium non in vertice montium, ſed in radicibus, vel inter montes ſitarum noxius ſit capiti; nam & ſurdi multi, & cæci, & luſcioſi in huiuſmodi vrbibus viſuntur, plureſq; apoplexia, & ſyderatione pereunt: at reliqua duo falſa omnino ſunt, ſcilicet quòd aer tenuis ſit in radice montis, cum in vertice talis ſit, vbi perpetuo flant venti: & quod tenuis aer noxius ſit capiti, cum ſit illi ſaluberrimus. Dicebat Oribaſius. Tenuia (de aere loquens) vero & capiti laboranti, & omnibus ſenſuũ inſtrumentis conueniunt: loca enim ſublimia ſaluberrima ſunt, cũ aer in eis nõ quieſcat, ſed perfundatur, & à ventis perpetuo agitetur. At loca humilia his nõ ſunt vtilia. Aer tenuis & ſublimis capiti ſaluberrimus.

Ciu. Quantus error illorum medicorum: audiui ego nõ ſemel, neq; etiam ſi quis negaret, ſine contentione pugnantes de hoc, atque affirmantes, Bononienſem aerem ſubtilem eſſe, & capiti ob id inimicum.

Erem. Nihil mirum, habuerunt quoſdam imperitos duces, qui errãtes ſecum turbam medicorum traxerunt; vides quanta mala. Sed non omnia poſſumus omnes. Nã contra excellunt Papienſes apertè, & longo interuallo ſimplicium medicamentorum, & anatomiæ, & græcarum litterarum peritia; nunc etiam adiectionem fecerunt, ſed omittamus hæc.

Ciu. Non tamen hæc videor præter rem commemoraſſe.

Erem. Quid præter rem? imò quam appoſitè; ſed tu ò amice, ſi pla-

si placet sermonem continuabis: videbaris enim hoc velle persuadere, vbicumq; licere vltra centesimum annum vitam, sola victus continentia producere.

Phil. Hoc certè est quod aggressus eram. Quid enim est primum, quod ad vitam faciat, nisi vt optimum restauretur nutrimentũ, nec ab vllis homo offendatur excrementis? at licet parcitate victus, ac moderatione vtrumq; assequi simul: imò si vnũ assequor, aliud habeo: at aer sit quantumcumq; bonus, offensas humorum tollere non potest Nunquid lapides consumere poterit in vesica genitos, aut prohibere ne gignantur? certè ne quis febre pestilẽti laboret facilius prohibere poterit; at ergo non ab aere, sed à nobismetipsis auxilium petendum suadeo. Regula nostra si rectè nobis consulerem is ad vitæ longitudinem maximè idonea est: eam quidam indulgentius interpretati sunt; alij multo magis custodiunt: sed quid aliud est, quam vitæ moderatio, & auxilium, frænumq; libidinum? At carnes non edimus: iam dixi non esse quod editur, sed quo nutrimur, id est quod concoquitur, quod facit ad vitam; namq; si subigitur, si assimilatur perfectè id etiam optime nutrit; modicum autem optime nutrit, & excrementis caret, nec occupatur natura; at non solidum est quod nutrit? Quid est ergò quod dicimus mel facere ad vitam producendam, quandoquidem tenuissimi sit alimenti. Et qui in India tam longo tempore viuunt, vt natalium obliuiscantur, hoc maxime præsidio inuitantur; quod neq; vinum, neq; carnes edant.

Ciu. Sed mittamus hæc, quæ meo iudicio aut verissima sunt, aut saltem proxima veris, immo vera maxima ex parte: nam dictum satis. Modo instaret tempus audiendi illos de animi immortalitate sermones, quos Dux noster est tam libenti animo largitus.

Erem. Iam maxime commemorare cupio, & eo magis cum Thauriceni præsentia adsit, nisi ei molestum sit.

Tho. Co. Iucundum est quidquid hospitibus meis præsertim tibi placet.

Erem. En promptus, verum exhalamus tantisper.

Tho. Co. Immo, cum præ itinere curare corpora præstet, prandium paremus.

Phil. His dictis discubuimus, cibumq; sumpsimus.

FINIS.

pag.	vers.	ERRATA.	CORRIGE.
11.	6.	competit	contempsit
12.	4.	æmulantur	çmulamur
20.	35.	audisse	accidisse
31.	27.	dices	dies
43.	10.	Relphini	Delphini
46.	4.	tria quæ illa commoda	tria illa commoda quæ
51.	37.	villo	vllo
57.	14.	assumit	assumat
57.	18.	reliquas	reliquis
60.	16.	cerule, æ exertæ	cerulea, exertæ
61.	15.	& quod & si	quod & si
68.	33.	iunctiones	inunctiones

Digitized by Google

Digitized by Google